

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18

*Del Colegio de la Compl. N. 1736*  
**HYMNORVM**  
**LIBRI SEPTEM**  
IN CHRISTI IESV, VIRG.  
DEIPARÆ, DIVORVMQ.  
GLORIA M.

*QVIBVS ACCESSE RVNTE EPISTOLA-*  
rum Libri duo: Itemq; Cœmeterium, quo Artefia Comitum  
ac quorundam Virorum litteris Illustrum, necnon Auctoris  
Parentum, ac propinquorum Epitaphia continentur.

A V C T O R E  
**ROBERTO OBRIZIO,**  
APVD ATREBAT. PASTORE.

Exultabunt labia mea Hymnum. Psalmus 118.  
Hymnus omnibus sanctis eius. Psalmus 148.



RIGIACI ATREBATIVM;  
**Ex officina Guilielmi Riuerii**  
M. D. XCII.



*Del volego de 23. 11. 1736*

# HYMNORVM

## LIBRI SEPTEM

IN CHRISTI IESV, VIRG.

DEIPARÆ, DIVORVMQ.

GLORIA M.

*QVIBVS ACCESSE RVNt EPISTOLA-*  
*rum Libri duo: Itemq. Cæmeterium, quo Artefie Comitum,*  
*ac quorundam Virorum litteris Illustrum, necnon Anterioris*  
*Parentum, ac propinquorum Epitaphia continentur.*

A V C T O R E  
**ROBERTO OBRIZIO,**  
APVD ATREBAT. PASTORE.

Exultabunt labia mea Hymnum. Psalmus 113.  
Hymnus omnibus sanctis eius. Psalmus 148.



RIGIACI ATREBATIVM;  
**Ex officina Guilielmi Riuierii**  
M. D. XCII.



A M P L I S S I M O  
AC REVEREND<sup>MO.</sup>  
Præfuli ac Domino D. Ioanni  
Saracæno Diui Vedaſti apud  
Atrebates Abbati dignissimo.  
S. C. R. Ma<sup>ti.</sup> à rerum ſtatus  
Consilijs, &c.

G V I L I E L M V S G A Z A E V S,  
D. Magdalenes Paſtor.

Iſtoriae cùm ſacræ, tūm prophane teſta-  
tum faciunt Ampliſme. Præſul antiqui-  
tatem omnem tūm demūm amicitiam  
illam veram, ſynceram, & perfectam  
censuſſe, quæ tam altis radicibus fixa firmiſq; fun-  
damentis ſtabilita eſſet, vt non modò aduerſis rebus  
& (vt ait Poëta) nubilo tempore, ſed nec ipſa mor-  
te labefactaretur, aut diſſolueretur: vſqueadēdō vt  
officia quæ in amicum demortuum confeſuntur, ve-  
teres pluris fieri voluerint, quam quæ in viuum, quod  
hæc à ſuperſtitie aut requiri & expoſci, aut miſtuo  
referri beneficio, Illa verò à mortuo minimè follici-  
tari, aut remunerari poſſint. Porro cùm pluriſma  
ſuit in amicum vita functum eiusmodi officia, tria  
Tria in  
mottuos  
officia.

duntaxat impræsentiarum summatim attingam &  
laconicè recensebo : Quorum vnum est nobis Catholi-  
.i. sacrifi-  
cacia & pia  
opera.

cis adeo proprium & peculiare , vt fidei Christianæ  
hostibus cum paganis, tum hæreticis sit & ignotum,  
& inuisum , odiosumq; : Puta defunctorum animas  
sacrosanctis sacrificijs subleuare , püs q; operibus &  
precibus eis opem adferre , aut ad breuiorem exiliij  
mulctam, leuioremq; pœnam, aut ad integrum & ab-

D. Augu.  
cap. 110.  
Enchiri.

solutam liberationem , Iuxta D. Augustini senten-  
tiam in Euchiridij libello cap. 110. Quibus (inquit)

prosunt, ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut cer-  
te vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

.i. Tumu-  
lus.

Alterum beneficium esto, splendido epitaphio aut  
magnifico tumulo, aut insigni sepulchro seu Pario ex  
marmore, seu ex ebore, ex alabastro, ex ære, siue ex  
pretiosiori metallo defuncti simulachrum ob oculos  
ponere, velutq; rediuinam exhibere effigiem, Quod  
quidem à veteribus Ethnicis studiosissime , & reli-  
giofissime obseruatum passim reperire est.

Cic.lib. 2  
de legib<sup>o</sup>.

Existimabant enim manes duos seu Genios cor-  
poribus humanis ab ipsa statim formatione assigna-  
tos fuisse, qui ne mortua quidem corpora desererent,  
consumptisque etiam corporibus sepulchra inhabita-  
rent, quare qui sepulchra demoliebantur, Deos ma-  
nes violasse putabantur, de quo Tullius lib. 2. de legi-  
bus, Deorum Manum iura sancta sunt ; At nos in  
spiritus sancti Gymnasio longè melius edoceti , haud  
tanti facimus splendorem illum monumentorum, qui  
ad luxum

ad luxū & fastum potius sæpe accedere solet , quam  
pietatem præse ferre , non tamen omnino rejicimus  
aut damnamus , si modestia seruetur & cuique pro  
suo ordine ac dignitate funebris deceruatur appara-  
tus, cum ad superstites aut solandos, aut ad commis-  
rationem commouendos, & ad preces fundendas ex-  
citandos, tum ad mortuorum memoriam subinde re-  
fricandam, & penitioribus animi tabulis imprimen-  
dam , unde & monumentum à monendo etymon ha-  
bere constat.

Postremum est, Prolem ab amico relietam tueri,  
in clientelā tutelamq; suscipere, & à teneris vngui-  
culis litteris excolendam, virtutibus bonisq; moribus  
imbuendam tradere, atque iam adultam, si lasciviat,  
refrenare , & ad diligendam vitæ conditionem op-  
portuno fanoq; consilio iuuare ac dirigere . O præcla-  
ram seminis fraterni suscitationem ! O laudabilem  
sobolis amici defuncti conseruationem ! Nam præter  
magnificas laudes amplissimaq; præmia in sacris &  
prophanis litteris eiusmodi amicis proposita, etiam sa-  
nè ijdem de Republica quā optimè mereri viden-  
tur. Haud enim solius familie, sed & totius Reip.  
interest plurimum , ne orphani paterno præsidio de-  
stituti passim negligantur & in vitiosa libertate,  
vitijsq; nativis adolescere permittantur , ne tandem  
sibi relictī , virtutisq; paternæ ignari grauiora ten-  
tare ausint & ad maleficia designanda animum ap-  
plicant, seque conuertant . Atqui in hoc triplici in-

Quem in  
finē mo-  
numenta  
constru-  
antur.

3. Tutela  
pupillo-  
rum.

*mortuos officij genere , si quisquam alius post homi-  
num memoriam, Tu vel maximè excellisti ornatis-  
sime Antistes , Immò etiam cæteros omnes hac laude  
anteisti : Nam vt à primo exordiar: Quid potuit il-  
lustrius prestanti? quid ad animas inuandas opportu-  
nius, quid ad manes liberados utilius procurari, quām*

*Altare ad à summo Christi in terris Vicario , & Diui Petri  
mortuo-  
rum libe-  
successore, supremoq; aerarij Ecclesiastici administra-  
rationem erec-  
tum. tore Altare quoddam amplissimo priuilegio & insi-*

*gni prærogativa dotatum obtinuisse ? In quo Mona-  
chus Vedastinus, Sacerdos rem diuinam faciens & à  
Deo , priuato cuiquam sacrificij meritum applicari  
postulans de eius liberatione securitatem habeat ?  
Cuius priuilegij Autographum Pontificis sigillo com-  
munitum licet fideliter repostum sit in archiuis Mo-  
nasterij Vestri, in quibus concinnè admodum omnia  
& suo quæque ordine collocata sunt, opera industria-  
que Domini Ioannis Bourgois Religiosi Vedast. qui  
Vestro iussu eam suscepit prouinciam, eius tamen ex-  
emplar nec mibi graue fuerit hic exscribere, nec Vo-  
bis (vt spher) molestum relegere.*

*Exemplar  
Litterarū  
Gre.xiii.  
Ponti.*  
**G R E G O R I V S** Episcopus seruus seruo-  
rum Dei ad perpetuam rei memoriam. Omnim sa-  
luti paterna charitatem intenti, inter tam multa pietat-  
tis officia, quæ nos pro munere nostro conuenit exer-  
cere , sacra interdùm loca speciali priuilegio insigni-  
mus , vt inde fideliūm animarum saluti amplius con-  
sulatur: Quocirca vt Ecclesia Monasterij Sancti  
Vedasti

*Vedasti Atrebatensis Ordinis S. Benedicti duode-  
cem vt minimum Monachis sacerdotibus ibidem iu-  
giter sacrificantibus adornata, nec simili usque adhuc  
priuilegio decorata , & in ea altare à dilectio filio  
Abbate dicti Monastery semel tantum deputandum  
quod maius non sit , hoc speciali dono illustretur,  
Auctoritate nobis à Domino tradita concedimus vt  
quoties ab aliquo Sacerdote dictæ Ecclesiae dūtaxat,  
missa defunctorum ad prædictum altare celebrabi-  
tur, pro anima cuiuscunque fidelis, quæ Deo in cha-  
ritate coniuncta ab hac luce migrauerit, Ipsa de the-  
sauro Ecclesiae Indulgentiam consequatur, quatenus  
Domini nostri Iesu Christi & Beatisimæ Virginis  
Marie, beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, alio-  
rumq; Sanctorum omnium meritis suffragantibus à  
Purgatorijs pœnis liberetur. Datū Romæ, &c. Quo-  
circa ne animæ illæ fideles in Purgatorio carcere de-  
tentæ hoc salutari subsidio diutius frustarentur, nihil  
prius duxisti, quā vt quicquid factō opus esset ad ex-  
ecutionē, quām citissimè conficeretur. Iuxta igitur fa-  
cultatē à Summo Pontifice Greg. XIII. concessam,  
Aram facelli Diuorum Martyrum Dionisij, Nicasij  
Sociorumq; quod è regione maioris Altaris dextro à  
latere meridiem spectat, ad id munera destinasti, &  
bac prærogativa atque dignitate insigniisti; pretio-  
sisq; ornamenti pullis ( quod is color funebri sacri-  
ficio maximè conueniat ) egregiè decorasti . Quid  
(amabo) sedulitatis & feruoris in hoc sancto opere  
deside-*

desiderari potuit? Quid in gratiam animarum fidelium, quæ necdum cœlesti luce ac quiete potiuntur aut salubrius aut efficacius aut securius impetrari?

Sed ad alterum officium transeamus, quo laudatissimæ memoriae Abbatem D.D. Thomam Paren-

ti antececessorem tuum honorifice prosecutus es, cum illi admodum illustre & magnificum Mausoleum in facello illo, in quo cū per negotia publica choro interesse non est integrum, rem sacram audire soles, magnis sumptibus extruxisti ac erexisti: licet is multorum iudicio rebus tuis non usquadeò studuerit aut fuerit: sed fallitur, totoque errat cœlo, quisquis autumat in tam generoso animo, & heroico pectore, offensionis passionisque igniculos tam diu foueri potuisse. Tertium genus erudito admodum & specie

Estatō Viro Domino ac Magistro Roberto Obrizio,

D. Magdalenes olim paroeco vigilautissimo & post-

modum Canonico Atrebatio dignissimo, liberaliter Presul Ve  
daft.libe-  
roru, seu libroru  
D. Obri-  
zij tutor.  
exhibuisti, multiplicem illustrando & promouendo eius fœtum, non quidem animatum & spirantem (cœlibem enim vitam integerrimus sacerdos & elegit & exegit) sed literariū & Musæum, qui tamen genium paternum moresq; subinde melius & certius referat, licet enim (vt vulgo tritum est) sepe solet similis filius esse patri, Plurimos tamen hac tempestate (pròch dolor) à paternis virtutibus tam turpiter degenerare videre est, vt nisi esset spectata atque extra omnem suspicionem, parentum integritas, pro spurijs notibus

que

que potius haberi mererentur. At contrafœtus illi litterarij verissimæ sunt effigies, et certissimæ veluti paternæ mentis Ideo: Quo fit ut sacrorum Hymnorum liber iste parentis sui D. Obrizij ingenium misericè representet, suisque aepingat coloribus, exploratumque faciat, eum laudibus diuinis assiduè addiditum fuisse, & in hoc mortali corpore Angelico munere in decantandis & buccinandis cœlestibus odis egregiè perfunditum, nunc porrò amplissimi Cœlitum chori ductorem & præcentorem agere. Me hercle primum illud vestrum in mortuos obsequium, pio & Religioso Præsule dignum fuit: Alterum antececessori tam amicè præstitum, à successore par & aequali suo veluti iure reposcat. Postremum eruditio nem vestram, vestrumque in promouendis litteris enthusiasmum clarissimè demonstrat. Quis enim inter cotaneos Præsules rem litterariam adeò exornat? quis Munificē via Veda. viros literatos tantis stimulis excitat? Luculentus erit testis eximius M. N. Thomas Stapletonus Anglus Scholæ Theologicæ columen: Quem tam diuturno exilij & tædio & incommodo penè fractum Ampdo. V. erexit, & ad elucubrationes plurimas ad studium Theologicum aut ad popularem sacris edulis pascendum pernecessarias inflammauit, & largissimis donarijs cohonestauit.

Testis etiam erit (vt alios omittam) nos ter hic Obrizius vir incomparabili eruditione, & singulari scientiarum omnium cognitione. Cuius opuscula om-

\*\*

nid

*nia verè aurea vestris auspicijs non sine maximis  
impensis prodeunt. Quod equidem & ciuib[us] Atre-  
batijs, apud quos maximo semper fuit in pretio, mag-  
numque post mortem sui reliquit desiderium, admo-  
dum gratum erit, & pubi Christianæ oppidò frugife-  
rum. Ex his enim libellis pietatis rorem animis te-  
nelliis peropportune instillandum, & exempla vitæ*

*Censura librorum  
D. Obri-  
zij.*  
gerundæ depromere atque decerpere fas erit: Ni-  
bilque in eis quod aut fœdum, salax sit, aut sordidum,  
aut hircum oleat, at omnia terfa, casta, terque, quater-  
que reconditio obrizoque auro mage pura, grauia, bene  
defecata, pia denique & sacra. Hoc sanè opus, &  
id genus alia longè digniora, quæ R. V. excellenter  
præstitit, quæque assidue meditatur plurima (à quo-  
rum commemoratione & pudor, ne palpum obtru-  
dere videar, & modestia V. supercedere iubet)  
Amplini. vestræ longiores & letiores amos, atque  
ad eo nomen immortale comparabunt, vitaque tan-  
dem functum ad sublimiorēm inter Cœlites ordinem  
euehet atque promouebunt: Quod & votis omnibus  
auemus, & assiduis precibus à Deo Opt. Max. ex-  
poscimus atque efflagitamus. Atrebati ex vestris  
& eis pastoralibus, Idibus Octobris, An. 1591.

Pastorum V. Amp<sup>ni</sup>. Subditorum  
infimus Guilielmus Gazzus D.  
Magdalenes apud Atrebates Pa-  
roecus.

REVE-

REVERENDO IN  
CHRISTO PATRI AC D. DOMINO  
IOANNI SARACENO,  
Vedastinorum apud Atrebates  
Atchimandritæ

S. P. D.

*S Aracene, ferunt iam pridem Eidyllia lucem,  
Auspice te: seque audent vitalibus hymni  
Credere nunc formis; quæ culto Obrizius ore  
Ingenij musæa sui monumenta reliquit,  
Quæque vicem voti, superis monumenta sacrauit.  
Vnde pium cum præsentes soluisse magistri  
Manibus officium laudent, tum posthuma, castis  
Promeritum benè de Musis, te sæcla celebrent.*

*Materia, arcanis scriptorum è fontibus hausta,  
Historiaeque sacrae viuacibus eruta filuis,  
Quam plus palladia faber aureus arte poliuit,  
Dignior & cedro, & robore firmior omni,  
Victurum promittit opus, quot mystica in annos  
Historiae veterisq[ue] non. eque hagiographa viuent.*

*Vnum etiam meritis, queis cuncti obstringimur, istis  
Adyce: dissimilemque hunc fratribus aspice partum,  
Infirmum, informem, longi per tædia morbi,  
Perque graues curas, quem fingere, perque polire  
Nequaquam Auctori licuit. Sibi conscius ipse  
Natiui horroris, nixuque abiectus acerbo,  
Damnari æternis tenebris, & fallere malit,*

\*\* 2

Exposito

*Expositam dignere Pater nî tollere prolem.  
Depositum, tu tange modò, mox surgat in auras  
A genij contagie tui: incultumque repente  
Exuat horrorem, & sferet te vindice nomen.*

*Quid moror? & longo commendo carmine causam  
Legitimi fætus? nullo qui degener ausu  
Aguat ore suum, licet horridiore, parentem.*

*Si limam, curámue styli quis forte requirat;  
Materiae delectus, & argumenta priorum  
Excusent paria, & pietas sese vindique prodens.*

*An puri affectus, & aperti pectoris index  
Littera, candidulis quæ missiculatur amicis,  
Libera sensa animi, calamoque profusa calente  
Exprimens, pigmenta ferat, fucosue decentes?  
Præsertim cui sit, præcepta salubria vitiæ  
Tradere, solari, virtutum incendere amore,  
Excordemque supra generoso robore vulgum  
Ponere, propositum, non uno ex ordine amicos.*

Andræas Hoius Brug.

IN

IN

# SACROS HYMNO<sup>S</sup>

D. ROBERTI OBRIZII.

## CARMEN FRANCISCI MOSCHI I.C.



*O Elicolûm Regi diuina poemata pangis  
Latia Obriane barbito.  
Quin & cælitibus pro Christo immania  
passis*

*Quondam profuso sanguine  
Vota facis, celebrans & quos oracula constat  
Docuisse plebem mystica,  
Nec tamen exhausto laceratos membra cruore,  
Sed voce confessos Deum.*

*Et quas Virgineo decoratas flore puellas  
Laudat, colitque Ecclesia,  
Mellifluo resonas cantu, & quos Régia cœli  
Dives beatos excipit,  
Adfaris: tibi mens procul binc abrepta, moratur  
Cœlestia inter agmina.*

*O te fælicem, fracto qui corpore morbis  
Hæc dum caduca despicias,  
Nil metuis coram diuinos cernere vultus,  
Et canditatis cætibus*

\*\* 3

Te

*Te inferre. Eia tibi merces quæsita perennis:  
Memorare nec sanctos fuit  
Irrita res, læti adplaudunt, vlnisque prehensum  
Alacres choro inferunt suo.  
At tu mortaleis non obliuiscere, redde  
Vices Saraceno tuo,  
Quem meritò Patrem agnoscit domus ampla Vedasti,  
Et Aula Regis Consulem:  
Cuius magnifico sumptu monumenta videbunt  
Tua publicata posteri.*

IN

IN  
**HYMNOS ROBERTI**  
OBRIZII,  
CARMEN  
ANDREÆ HOIBRVG.



*Armen ad obrusam explorans Obrizius, artis  
Reddidit incidi satque superque suæ.  
Longa dies carmenque pium, auctoremque  
recoxit:*

*Nil nisi sedulitas deterat vltior.  
Luxuriem viridi affinem perspeximus æno  
· Maturi accisam pressa acie senij.  
Ofælix pectus ! dios quod spirat honores.  
Ofælix, cantus quod gemit, ingenium !  
Cantus, quos præsens, quos postera deieret ætas,  
Haud bifido ductos colle, sed astrifera  
Arce : nec Aonij factos musa auspice Phœbi,  
Numine dictatos sed mage ab æthereo.  
Christiade, veri & cœlestium inania corda,  
Seu potius vestri oblita, poli, atque dei.  
Quid studium in veteres vetus, & furor iste Poëtas,  
Quorum est doctrinæ carmen inane, iuuat ?  
Nec tam sermo iuuat priscis virtutibus illex,  
Et phrasées multo mista lepore Venus.  
Quin, turpes turpi superatis in arte magistros:  
Si modo quis cultis fætus ab ingenys.*

Prodeat,

Prodeat. Heu, diuina nefas vis mentis in omne  
Pessum abit, inq̄ humilem bruta abit omnis humum.  
Ecce pius Vates, de stercore colligere aurum  
Gnarus, & Agyptum despoliare opibus,  
Quidquid florilegæ passim de more volucris,  
Priscorum monumenta omnia peruolitans,  
Decerpit; quascumque penū interiore recondit  
Mentis opes, linguam quæ modò perpoliant:  
(Materies latet arcanis uberrima libris:  
Materiem præbent tot benefacta Dei)  
Promit in ætherei laudes & carmina patris,  
Et quotquot cœli regia cernit heros.  
Barbiton hic Flaccus, moderata hic plectra Catullus,  
Temperat hic gracili Teius arte chelym.  
Nil tamen imparum Flaccus, nil turpe Catullus,  
Nil casta indignum Teius aure sonat.  
Macte senex Obrizi, auro Roberte recoclo  
Purior: O gemino nomine macte Senex!  
Inualdi mirum robur tibi corporis artus  
Constat in morbos, & studia ista dedit.  
Carmen & Obrizo finxit tibi purius auro  
Mens animi, assiduis quamlibet acta malis.  
Macte senex: votum quo te pubentibus annis  
Damnasti, extremo per solus senio.

DE  
EDITIONE POEMATVM  
VENERANDI D. M. ROBERTI  
OBRIZII GRATVLATVR  
GVILIELMVS GAZÆVS.

**S**I Pario humanos de marmore sculpere vultus  
Et valeam viuo tabulas animare colore,  
Effigiem licet informem, scabramque  
rudemque  
Exprimerem Roberte tuam: sic ante tuorum  
Versarere oculos, exposta obtutibus esset  
Forma exsculpta tui: Sed fallor, imago tuarum  
Virtutum cluit, & pietas spectata per ora  
Atrebatum volitat, notusq; animi entheus ardor,  
Inque tuis fas est ipsum te cernere libris:  
Vt nubi non adeò fato videaris ademptus,  
Quam postliminio rediuius: deque renati  
Pythagore placitis vt fætus prodijt olim  
Plurimus, Obrisij exscriptis ita diuite gaza  
Profluit omnigenæ largissima copia frugis.

EIVSDEM G. GAZÆI TETRASTICHON  
Chronographicum de morte D. Rob. Obrisij.

**O**BrIsIVM fLagrans eVeXIt aD æthera VIrtVs,  
DegIt Vbi I Vates IaM fæLIX atq; Ve beatVs.  
GranDIloqVo Is VersVs peros eXornat & hIMnIs,  
Vt DIIs epVLIs potVqVe refrænet ore XIM.

Gazis omnia.

\*\*\*

IN

AD EVNDEM  
D. R O B. O B R I Z I V M  
ROBERTI PONCHELII  
DECASTICHON.

**T**E Lachesis furua tentans obuoluere nocte,  
Abstulit Obrizi, Parca inimica bonis.  
Tanto namque infensa viro, qui nomen in  
eum.

Duceret, intreas, ne memoreris, ait.  
Spicula sed miro torsisti robore, dum te  
Musa tua æternum, ne moriare, facit.  
Æternum viues, ætas dum postera cernet  
Quos tua lethæis pagina traxit aquis.  
Cælicolas inter Vates, te gloria perpes  
Ornat, & in terris fama superstes erit.

ANT.

A N T. MEIERVS IN  
POEMATA D. R. OBRIZII.

**S**Ic vitam instituit Robertus, eoq; feregit  
Ordine, ut Agricolam confiteare bonum.  
Excoluit terram, sevitque fidelis herilem,  
Publica vt hinc messis, non sua lucra forēt.  
Non sibi quæsiuit fructum, communia struxit  
Horrea: plantauit Ciubibus, atque Deo.  
Nec modò per vitam dedit emolumenta colonus:  
Mortuus & prodest, semina iacta manent.  
Arbore lecturi seri quoque poma nepotes,  
Panxerit Obrizi quam studiofa manus.  
Audiuerè senes vocem clamantis in æde  
Rhetoris, in media discipuliisque Schola.  
Non contentus eo studio pietatis, in omnem  
Producto ætatem, quam data longa fuit,  
Ulterius curam extendit: monumenta reliquit  
Scripta, quibus vitam nulla dies adimat.  
Presserat illa domi, prohibens exire sub auras,  
Vel famæ fugiens præmia vana senex,  
Vel quod paullatim, inique dies fœtura beati  
Cresceret ingenij, & perficeretur opus.  
Fortè quod in tenebris, & longa nocte sepultum  
Funere ab Auctoris delituisset opus,  
Cura nisi & pietas oblata Antistitis esset,  
Qui nihil, admonitus, tale perire finit.  
Proflus ut emergant sociæ virtutibus artes,

*Frugi Patris in hoc scrinia tota patent.*

*Felices igitur Saraceno vindice manes:*

*Quem coluit viuum, post quoque fata colit.*

*Veribus his si quid caperis, pie Lector, utriusque*

*Debitor ob tantum pignus, utriusque faue.*

*Manibus Obrizi pacem, pro Antistite vitam*

*Pofce salutarem, Nestoreosque dies.*

### E IV S D E M O B R I Z I I P A T R I A E T F A C V N D I A.

**Q**Brizum genuit non Areopagus, ut orco  
Miles quondam animas auffice Marte daret:  
Mercurialis & Hermæus cunabula pagus  
Quodam Rhetoricae præbuit augurio.  
MErcurius diuīm interpres facundus habetur:  
Eius hic arte potens duxit ad astra pios.  
Namque aliud quid doctrinā, quid moribus egit?  
Quid siue eloquio, siue labore suo?  
Quād data longa ætas, ouibus dedit omnia Pastor:  
Nec quasi adhuc viuo mortuus ore taceat.  
Cælo animam, terræ exuicias, at posteritati  
Vtilis Athletes hæc monumenta dedit.  
Commendata sibi, profert Saracenus in usum  
Communem, parui muneris usque memor:  
Usque memor, puero quondam quid voce magistra  
Contulerit, decoris causa aliquanta sui.  
Ornauit viuum: sed & hac mercede didactron  
Grammatico soluit Cœnobiaracha suo.

AN-

### A N A G R A M M A.

**R**OBERTVS OBRISIVS,  
SORBITVS RESORBVI.

**M**Epietas, diuinus amor me sorbuit vltro:  
Id sentiens, Deum vicissim sorbui.  
Nemo, sorbitio quantæ dulcedinis hæc sit,  
Nouit, nisi qui sorbitus resorbuit.

**F**LORENTIVS RIXIVS,  
A D<sup>o</sup> L E C T O R E M.

**D**Ector, Musa tibi Catulliana est (na:  
Cordi? en, Musa tibi Catulliana  
Rursum, Musa tibi est Horatiana  
Cordi? Musa tibi, en, Horatiana:  
Quod si Teia plus tibi probetur,  
Tanquam Musa minus laboriosa;  
Præsto est Musa minus laboriosa:  
At non quæ canat hæc, & ista, & illa,  
Nasoni siue tribus minus pudica,  
Impuros nimis, impios amores,  
Igneis iustius igne concremandos:

\*\*\* 3

Sed

Sed, cœli decus, Angelorū amore, Spem collapsi hominis, Deumque Christum,

Cuius qui calet ignibus, Deus fit:

Cuius qui caret ignibus, peribit

In mortem tumulandus æuternam.

I D E M

IN MVSAM CASTAM, ET  
SACRAM.

**Q**Vid mirer nimis, aut morer  
Catullos?

Quid Flacos morer, aut Ana-  
creontas?

Doctrinæ vacuos salubrioris?

Omnes vitæ inopes beatioris?

Quæ Musa optima? (vedit se amicu-

Quamuis simplice) Christiana Mu-  
sa est.

I A.

IACOBI SLUPERII  
HERZELENSIS FLANDRI  
AD LECTOREM

EPIGRAMMA.



*Visquis amat variis animum recreare Cas-  
moxis,  
Et pia sanctorum discere gesta virum,  
Quasque cruces tulerit Deus in Cruce pen-  
dulus olim*

*Christus apud Solymæ monia clara Sion:*

*Hoc legat egregium vigilanti mente poëma,*

*Quod vigil Obrizi Calliopea dedit.*

*Hoc opus Obryzo longè pretiosius auro,*

*Quo rutilant Gangis rura, vel arua Tagi.*

*Quin tegit Ambrosias niueis sub amictibus escas,*

*Et tumidos hilari neclaris imbre eados:*

*Grex quibus Empyreo nutritur in æthere Diuum*

*Gemmiferum summi Principis ante thronum.*

Rigiaci Atrebatum an. 1591.  
tertio nonas Octob.

IN

IN  
D. ROBERTI OBRIZII  
POEMATA,

EPIGRAMMA

AD LECTOREM.

*Iue tibi faueat ventis fortuna secundis,  
Siue per aduersos reflet iniqua notos:  
Si lubeat nostri versare poëmata Vatis,  
Plura feres votis emolumenta tuis.  
Scilicet infestam poteris contemnere sortem,  
Inclita sacrorum gesta legendō virūm.  
Quos, fera per diros mors intentata Nerones,  
Nullaque vis, valuit dissociare Deo.  
Fas tibi rursus erit, magni meminisse Tonantis,  
Et seruare modum, Fors ubi leta fluet.  
Hic scopus Auctoris, viuā qui voce superstes  
Quod monuit, scriptis post sua busta docet.*

Philippi Meyeri Atrebatij.

INDEX

INDEX

HYMNORVM  
LIBRI PRIMI.

-  N Sanctam Trinitatem.  
In Deum Patrem.  
Ex precatione dominica.  
In Christum Iesum.  
In Zachariam mutum.  
Ioannes ex utero matris.  
Natura in partum Virginis.  
In Christi Natalem.  
In Christi eiusdem Natalem.  
In eundem Christi Iesu Natalem.  
In Pastores.  
In Circumcisionem Christi.  
In dulcissimum nomen Domini Iesu.  
In tres Magos.  
Eodem die ad Christum.  
In Simeonem prophetam.  
In Annam prophetissam.  
In Infanticidium.  
De aqua in vinum mutata.  
In Christi Iesu transfigurationem.  
In ingressum Christi Iesu in Hierusalem.  
In Sacram Synaxin.  
In Eandem sacram Synaxin.  
In Eandem cœnam Dominicam.  
In Eandem.  
Quo tempore excipitur.  
In Eandem, postquam excepta est.  
Dum offertur Eucharistia.  
Ex Psalmo 22.  
In Eandem ad Christum.

Pagina	3.
4.	
7.	
8.	
11.	
12.	
13.	
14.	
17.	
18.	
22.	
23.	
24.	
26.	
28.	
29.	
30.	
31.	
33.	
35.	
37.	
39.	
43.	
44.	
45.	
48.	
49.	
ibid.	
50.	
ibid.	

LIBRI SECUNDI.

- IN Christi Iesu Anastauros in.  
In sanguinem cum aqua demissum è latere Christi.  
In Crucem salutiferam.  
Hymnus in eandem Paræneticus.  
In Christum de cruce pendentem.

Pag.	51.
67.	
68.	
69.	
70.	
In se-	

In sepulcrum dominicum.	72.
In Imaginem Christi de cruce pendentis ad Christianum spectatorem.	73.
In Christi Iesu Resurrectionem.	74.
In Christi Ascensionem.	78.
In sanctam Pentecosten.	82.
In Spiritum Sanctum Deum.	88.
Ad Christum pro vniuersa, &c.	90.
In Crucem, quæ rei Christianæ fundementum est, & columen.	91.

## LIBRI TERTII.

<b>I</b> N Angelos omnes, & præcipue in Michaelem Archangelum.	Pag. 94.
In Ioannis Baptiste natalem.	96.
In necem eiusdem.	98.
In D. Petri liberationem à vinculis.	100.
In D. Petrum cruci affixum.	101.
In D. Paulum conuersum.	103.
In necem D. Pauli.	105.
In D. Andream Apostolum.	106.
In D. Philippum Apostolum.	108.
In D. Ioannem Apostolum.	110.
In eundem rursum.	113.
In D. Barptolomæum Apostolum.	114.
In D. Iacobum maiorem Apostolum.	116.
In D. Iacobum minorem Apostolum.	118.
In D. Thomam Apostolum.	119.
In D. Matthæum Apostolum & Euangelistam.	121.
In D. Iudam Thaddæum Apostolum.	122.
In D. Simonem, seu Simeonem Apostolum.	124.
In D. Matthiam Apostolum.	125.
In D. Marcum Euangelistam.	126.
In D. Lucam Euangeliographum.	128.
In D. Barnabam Apostolum supernumerarium.	129.

## LIBRI QVARTI.

<b>P</b> ræfatio.	
In D. Stephanum Martyrem.	131.
In D. Processum & Martinianum Martyres.	132.
In D. Geruasium, & Prothasium Martyres.	135.
In D. Nazarium, & Celsum Martyres.	136.
	138.
In D.	

In D. Timotheum Martyrem.	139.
In D. Tirum.	141.
In D. Dionysium Areopagitam Martyrem.	142.
In D. Linum Papam Martyrem.	144.
In D. Cletum Papam Martyrem.	145.
In D. Clementem Papam Martyrem.	146.
In D. Ignatium Martyrem.	148.
In D. Polycarpum Martyrem.	149.
In D. Anacletum Papam Martyrem.	150.
In D. Laurentium Martyrem.	151.
In D. Julianum & Eunum Martyres.	153.
In D. Tryphonem, & Nympham.	155.
In D. Vincentium Martyrem.	156.
In D. Blasium Martyrem.	158.
In D. Anonymum queindam Martyrem.	160.
In D. Marcum & Marcellianum Martyres.	162.
In D. Sebastianum Martyrem.	163.
In D. Philæam, & Philoromum Martyres.	165.
In D. Cosmam & Damianum Martyres.	166.
In D. Vitalem, & Agricolam Martyres.	168.
In D. Adauetum, &c. Martyres.	169.
In D. Mauritium, &c. Martyres.	170.
In D. Ioannem & Paulum fratres Mart.	171.
In D. Cyprianum Martyrem.	172.
In D. Petrum exorcistam.	174.
In 40. milites Martyres.	176.
In D. Ptolomæum & Lucium.	178.
In D. Victorem militem, & fœminā nomine Coronam Martires.	179.
In Septem filios Martyres. vnā cum matte Felicitate	181.
In Septem alios, cum matre Symphorosa Mart.	183.
In D. Pamphilum Martyrem.	185.
In D. Iustinum, Philosophum Martyrem.	186.

## LIBRI QVINTI.

<b>P</b> ræfatio.	Pag. 187.
In D. Paulum Eremitam primum.	188.
In D. Antonium.	189.
In D. Hilariensem.	193.
In D. Athanasium.	193.
In D. Hilactum.	195.
In D. Martinum.	197.
In D. Ambrosium.	200.
In D. Basilium.	209.
	In D. Io-

In D. Ioannem Chrysostomum.	210.	In D. Virginem Matiam.	291.
In D. Gregorium Nyssenum.	212.	In Eandem.	292.
In D. Gregorium Thaumaturgum.	213.	In Eandem Deiparam.	293.
In D. Gregorium Nazianzenum.	215.	Ad Eandem, cum ipsius responsione.	294.
In D. Ephrem Syrum.	217.	In Eandem, aduersum Mariomastigas.	295.
In D. Ioannem Damascenum.	219.	Ad Eandem.	296.
In D. Syluestrum.	220.	Ad Eandem.	ibid.
In D. Damasum Papam.	221.	Ad Eandem.	297.
In D. Hieronymum.	222.	Ad Deiparam Virginem.	298.
In D. Augustinum.	225.	Ad Eandem.	299.
In D. Nicolaum.	228.	De Eadem.	300.
In D. Leonem Papam.	231.	In Mariam verno tempore.	ibid.
In D. Benedictum.	232.	Ad Eandem, Ex Apoc.	302.
In D. Vedaustum.	234.		
In D. Gregorium Papam.	236.		
In D. Eligium.	237.		
In D. Amandum.	239.		
In D. Ægidium.	241.		
In D. Bernardum.	243.		
In D. Dominicum.	245.		
In D. Franciscum.	248.		
In D. Bernardinum.	249.		
In D. Ludouicum Regem.	251.		
In D. Alphonsum, siue Ilephonsum.	255.		

## L I B R I   S E X T I .

I Esu Christo Dei filio vniuersorum Imperatori.	Pag. 257.
In D. Virginem Mariam Christiparam.	259.
In D. Mariam Virginem purissimè conceptam.	260.
In Eandem.	262.
In Natalem D. Mariae Virginis.	264.
In Præsentationem D. Mariae Virginis.	265.
In vitam, studia, & mores Mariae.	266.
In Iosephum & Mariam, Epithalamion.	269.
In Gabrielis Archangeli legationem.	271.
In Profectionem Virginis Christiparæ ad Visit. Eliz.	274.
In Eandem, de Congressu, &c.	276.
In Sacerdum Virginis Matris puerperium.	277.
In eandem Puerperam Sanctissi.	280.
In Christiparam Virginem purificatam, Ad Deum.	283.
In eandem Encomiasticè.	ibid.
In Virginem Deiparam in cælum assumtam.	287.
In eandem Virginem Encomiastice.	289.
In D. Virginem Deiparam.	290.

In D. Vir-

In D. Virginem Matiam.	291.
In Eandem.	292.
In Eandem Deiparam.	293.
Ad Eandem, cum ipsius responsione.	294.
In Eandem, aduersum Mariomastigas.	295.
Ad Eandem.	296.
Ad Eandem.	ibid.
Ad Eandem.	297.
Ad Eandem.	298.
Ad Deiparam Virginem.	299.
Ad Eandem.	300.
De Eadem.	ibid.
In Mariam verno tempore.	302.

## L I B R I   S E P T I M I .

In D. Annam.	Pag. 303.
In peccatricem mulierem.	304.
In Magdalenam.	305.
In Martham.	308.
In Theclen.	312.
In D. Priscam Virginem ac Martyrem.	313.
In D. Agnetem Virginem ac Martyrem.	314.
In Eandem.	316.
In D. Emerentianam.	317.
In D. Seraphiam Virginem ac Martyrem.	319.
In D. Agathen Virginem ac Martyrem.	320.
In D. Apolloniam Virginem ac Martyrem.	321.
In D. Cointham Virginem ac Martyrem.	323.
In D. Luciam Virginem ac Martyrem.	325.
In D. Eulaliam Virginem ac Martyrem.	326.
In D. Julianam Virginem ac Martyrem.	327.
In D. Iulittam Virginem ac Martyrem.	329.
In D. Margaritam Virginem ac Martyrem.	330.
In D. Barbaram Virginem ac Martyrem.	331.
In D. Anastasiam Virginem ac Martyrem.	333.
In D. Dorotheam Virginem ac Martyrem.	337.
In D. Ceciliam Virginem ac Martyrem.	338.
In D. Catharinam Virginem ac Martyrem.	340.
In D. Praxedem Virginem.	342.
In D. Bibianam Virginem ac Martyrem.	343.
In D. Martinam Virginem ac Martyrem.	337.
In D. Monicam D. Augustini matrem.	ibid.
In D. Odiliam Virginem.	339.
In D. Genouefam.	340.

\*\*\* 3.

In D. Bri-

In D. Brigittam Virginem.	342.
In D. Elizabetham Hungaricam.	343.
In D. Claram Virginem.	354.
In Diuos, Diuōsque omnes.	356.
In D. Catharinam Senensem.	358.
Auctor ad Deum Opt. Max.	360.
Ad Diuos Diuōsque omnes.	ibid.

Spicilegium sacrum, sive Eicones, in vetus Testamentū. 361.

### I T E M.

<b>I</b> N Nouum Testamentum.	366.
Hexastichain Chorum Apostolicum.	373.
De Vita, & laudibus D. Vedasti, Atrebatorum Pontificis, Dialogus.	385.
Auctor ad Lectores suorum poëmatum.	390.
De eisdem operibus rursum.	ibid.
De ijsdem.	391.

### F I N I S I N D I C I S.

*Hi* sacrorum Hymnorū, Epistolarū, & Cœmerij libelli à me sedulo perlecti sunt, nec in ijs quidquam contra fidem, aut bonos mores repperi: quare duxi approbaudos.

Matthæus Gourdin Sacræ Theologiæ Bac. For. Atreb. Canonicus, ac librorum Censor.

*Hæc* sacrorum Hymnorū, Epistolarū, & Cœmeterij Christiani Poëmata, Auctore D. Roberto Obrizio olim Pastore, ac postmodūm Canonicō Atrebatio, à capite ad calcem perlegi, & cùm non minus venusta, ac elegantia, quam casta sint, & pia, atque adeò ad tenellos pubis Christianæ animos ad virtutem pietatemque excitandos, & mores iuxta proposita Cœli incolarum, virorumque integerrimorum exempla ac paradigmata formandos, sint apprimè utilia, typis digna censui.

Guilielmus Gazæus Theologiæ  
B. F. Parœciæ D. Magdalenes  
Pastor, & per Dioecesim Atreb.  
librorum Censor.

# V N I T R I N O D E O O P T . M A X . S A C R V M .

Oluo senex carmē teneris promissor ab annis:  
Excipe, qua sōlem fronte nitere iubes.  
Res hæc sāpe mihi est fugiēs tētata per ævū;  
Dilatam pietas maluit ista senj.  
Pareo, sorte mala, diuersis casibus actus:  
Pauca tulissē dolet, pluraq; ferre liber,  
Vinxisti ingenij, quassato in corpore, vires:  
Spiritui, & Nato, gratia multa, tuo.  
Laus tua per varios moribundo est dicta labores;  
Da, te immortali certiūs ore canam.  
Tendo manus, supplex, curuato poplite, cantor:  
Deuotum mortis me propre limen habe.

## O D A R I O N   Á V C T O R I S A D C H R I S T V M I E S V M .

P R̄egestientem Cælitum choris  
Laudes latina dicere barbito  
Ne temne; Primus tu, vltimusq;  
Æthereæ & medius coronæ.  
Laus omnis à te (sic decet) incipit:  
In te, reflexo tramite, definit,  
In milibus quærens, & vnum  
Assiduè memorans Iesum.  
Haud ipse laudem persequor, adsequi  
Nil allaborans; Si studium probes,  
Quod pango votiuum poëma  
Persoluisse tibi, iuuabit.

*Ad Deum.*

DArens supreme, rex, dux,  
Lux trina, lux & vna,  
Vicissitudinisque,  
Noctisque, nubis, vmbrae,  
Obscuritatis expers,  
Cuius perenne lumen,  
Per ordines nouenos  
Exercitus volucris,  
Et concauos per orbes,  
Spatium liquentis æthræ  
Terras ferit iacenteis:  
Lustrat vetustiorum  
Pianda corda vatum:  
Implet recentioris  
Præcordia & Senatus,  
Toto orbe qui refusis  
Bellum inferat tenebris,  
Dum Christus omnium sol  
Coruscus orbe toto  
Effulgeat, triumplet,  
Passimque prædicetur;  
Si mentis in latebris  
Homuncionis huius  
Quidquam micas pusillum,  
Tepente pronus aura,

Et molliter suaui,  
Scintillulam soueto:  
Mox halitu salubri,  
Sed concitatiore,  
Instantius cieto:  
Tum fortiore nixu  
Excita flamma summum  
Cœli inuolabit axem.  
Si mentis alta cæcæ  
Vultus tui sacratus  
Splendoribus cuique  
Perfundis, & serenas,  
Oculi retusioris  
Obtutibus, benignè  
Concede te videndum;  
Ne vi tua repulsus,  
Aut vspiam retortus  
Fatiscat, aut liebescat  
Ac deuians aberret.  
Si plectra, si latinam  
Testudinem canenti  
Das in manum, latinis  
Aptare continenter  
Da luce digna neruis.

## LIBRI

# LIBRI PRIMI

## HYMNVS PRIMVS,

*In sanctam, ineffabilemq; Trinitatem.  
In surrectione matutina potissimum.*



Lma Trias, Deus vnuſ, aue, qui Numine in  
vno,

Omnia, quæ primos opifex educis in ortus,  
Imperio regis, & præfixo limite seruas:  
Expers ô genitor genitoris, Nate, Parenti

Pater.  
Filius.

Progenite æternum: Tu magna potentia summi,  
Tu Sophia alta, Patris decus es, tu sola voluptas.

Tu genito, tu gignenti communis vtrique  
Halitus, egelido perspirans omnia flatu,

Spiritus  
Sanctus.

Vnde trahunt, quod sunt quodq; omnia tempore substât.

Alma Trias, sine nocte iubar, sine nube serenum,

Trinitas.

Trine Deus, solus prior omni tempore, & æuo:

Æterno tempus cui labile seruit, & æuum,

Lucis inexhaustæ fons, & purissimus auctor,

Viuiscam Soli lucemq; diemq; ministrans:

Qui post lucis opus, viuentum membra sopore

Humeans riguo perfundis, quiq; sepultos

Etsomnum bonus & vitam cum morte pacisci

Germana, & sociare vetas, placidaq; quiete

Intermissa, alacres operi sub lumine reddis,

Accelerans croceis auroræ lora quadrigis:

Aspice me tenebris ereptum noctis opacæ

(Qua ruit effusis Orci dominator habenis)

Ceu postliminio redeuntem solis ad ortum :

Et si, dum festinat opus Phœbi aurea lampas

Huius curriculo lucis, quotquotue sequentum,

Conscia delicti violarim pectora prudens,

Aut quocunq; modo peccans tua iura resoluam;

Ne sine me tenebris sòpitum immergier atris

Oblitum Triadis metuendæ, & Numinis alti.

## HY M N O R V M

Quin, si septenis recto de tramite flecti  
Contigerit vicibus, naturæ vt semina nosti,  
Tu totidem vicibus miserare, & surrige lapsum.  
Da grauis excusso hunc animum torpore veterni  
Luce nitere noua, collustrans lumine pectus,  
Quicquid & abstrusum est intus: da cernere mentis  
Intuitu liquido, quæ scita salubria tradis  
Christigenæ, nullo temeranda perenniter ausu.  
Si quid præcipitis spatiū produxeris æui,  
Alternans vicibus creperis nocteque, diesque,  
Pectore te tacito, te voce, & carmine laudem  
Exempli viæ mehor: Quod restat; euntis,  
Quæ mihi per Christum strata est via, dirige gressus.  
Se procedentem, cœlestis iugiter agmen  
Militiæ circunsistat, quo vindice tutus  
Præsidio, superas per te sublimis ad arces  
Victor oboans ferar, & pleno te carmine cantem  
Ordinibus Superum mistus, festæq; choreæ.  
Interea modulos balbæ ne despice Musæ,  
Quæ tibi perpetuum se tota addixit in æuum.

## HY M N V S 2.

*Deo Patri.*

PRæ te vermiculus pertenuiſ licet,  
Effosso minimæ vix scrobis & potens  
Proreptare cauo, dicere te Patrem  
    Versu gestio te Deum.  
Tu sensu tacito concipere, ac loqui  
Donas, Summe Parens, Rector & omnium,  
Laudes vt pueri, matriſ ab ubere.  
    Depulsi, recinant tuas  
Inuita inuidia. Quod genus offici  
A Etas si temere paruula deneger,  
Te cautes rigidè carmine, taxaque  
    Te vocalia concrepent.  
Vnum 22. Diris Isacidas quum stolidus senex.

*Deuo-*

## LIB. PRIMVS.

Deuouisse parat, præproperè nefas  
Inuisum prohibes, vt melius loquax  
    Hanc sessorem asina increpet.

Vati tardiloquo sic labium expeditis,  
Vrens difficilis vim retinaculi,  
Sublato medijs oxyus ignibus  
    In miracula calculo.

Non hoc Iseiden præterijt, nec in  
Cantus hymnidicos laxa repagula  
Frustra oris petijt, liberior graui  
    Tersæ criminæ noxiæ.

Inficta est vetulo quæ taciturnitas  
In natalium ducta diem patri  
Prolis feræ, hilari sub modulo incliti  
    Finem carminis accipit.

Hac spe, nos humiles ora resoluimus  
Rerum non modica luxurie exciti:  
Non ferr præcipitem cor violentiam,  
    Rumpit lingua silentium.

At, quid principio? quidue aliud loquar,  
Ni, quod perpetuis vocibus omnia,  
Aët, terra, fretum, sidera prædicant  
    Te, te consona maximum?

Tu certis vicibus tempora diuidis  
Sublimis solio, temporibus prior:  
Iisdem, quotquot erunt, posterior manens,  
    Regnans vnuſ in omnibus.

Rerum semina sunt te penes omnium:  
Idem cuncta creas, exhilaras, alis:  
Flatu viuifico condita confoues,  
    Röbur, spiritus, ac vigor.

Vnum non dubia te colimus fide,  
Certis colligimus quod rationibus:  
Simplex vnuſ est omnipotentia:  
    Per se, qui duo se ferant?

Vnuſ mundus vt est, vnuſ ita & Deus.  
Mundi sphæra sinu ceu capit omnia,

A 3.

*Balaam.**Esa. 6.**Psal. 51.  
Danid.**Luc. 1.  
Zacharias.**Mundum.*

6 H Y M N O R V M

Mundum sic opifex, & capit omnia,  
Vno nec capitur loco.  
Tu natum generas non sterilis Pater,  
A te qui genitus corde perenniter  
Viua est effigies, forma simillima,  
Ac æterna Dei Pattis.

Hac à Prole simul manat, & à Patre,  
AEterno, atque pari Numine Spiritus  
i. effentia. Confors vnius, & simplicis usus,

Trinæ nexus Hypostasis,  
Nemo terrigenum consilij abdita,  
Finem multiplicitis nemo scientia,  
Expletæ numerum magnificentia,  
Exhaustum & videat modum.

Diffudit bonitas semet in omnia  
Edens mirifice signa potentiae:  
Hæc molitur Amor, non patiens moræ,  
Vt nos conciliet sibi.

Haud seculis ideò præcipitantibus  
Latè expansa polus linteal contrahit:  
Haud vnum è minimis obtegit ignibus  
Præscripti immemor offici.

Non, quæ Luna capit lumina mutuò  
Per noctis tenebras, huic homini inuidet:  
Nec sol fixa adimit lora iugalibus  
Curru pigrior igneo.

Munus terra parens an reprimat ferax  
Herbis, arboribus, frugibus, & mero?  
An claudat gremium, non semel in graueis  
Mater prodigaliberos?

Victus altera si commoda postulent,  
Pisces squamigeros perneget an salum?  
Tergo continuè discutiat rates

Atro gurgite turgidum?  
Currant perpetuo fluminis alueo,  
Et iuges scatebris exsiliant aquæ:  
Tanto temporis & curriculo suam

Cælari

L I B . P R I M V S .

Cælari ita originem.

Parent artifici scilicet haec tenus  
Annorum serie vix numerabili,  
Enixéque probant officium mihi  
Mortali, velut arbitrio.  
O cœcos homines, ô stupidos nimis,  
Si subiecta oculis ista minus vident:  
Si non ferreo adhuc pectore sentiunt,  
Ah durum nimis, ah, genus.

H Y M N V S 3.

Ex precatione Dominica.

Patri Deo.

O Pater, cuius domus est Olympus,  
Aureus quæ sol oritur, caditque,  
Da, ter immensum Deitatis incla-  
Rescere nomen.

Maximus tu Rex ut es vniuersi,  
Inferi gaudens vbiuis locorum,  
Da, tui latè patefacta crescat  
Gloria regni.

Hic, & inter nos tua iussa fiant,  
Sicut in cœlis fieri tenemus:  
Audiens dicto, tibi factus vni  
Seruiat orbis.

Si vago victimum pecori, alitiique  
Non negas, nutritius & natantum,  
Suggerat nobis tua dextra panem  
Quottidianum.

Neu tibi nostris vitijs iniquo,  
Demus, ô Iudex metuehde, poenas,  
Parcito nobis; nec enim grauamur  
Parcere læsi.

Si dolis, aut vi Stygius satelles  
Perdere incautos studeat, perennes.

Gratias

# H Y M N O R V M

Gratias pulso tibi fac agamus,  
O Pater, hoste.

## H Y M N V S 4.

In Christum Iesum.

**D E V N I V E R S A M V N D I**  
huius fabrica, & humana salutis, per  
eundem, Oeconomia.

**T**e parem dicam Sobolem Parenti:  
Te canam Solem stabilem, prior qui  
Emicas Luna, prius & creato  
Sole Creator.

Nulla tūm cōlō duce, circinata  
Hora, momentis breuibus cadebat,

**Pater**, Quām Pater sancto Genitum foueret  
**Filius, Spi** ritus San-  
**ritus, Tri-** Proinde, quām visum est Triadi, repente  
**nitas, Vn** Quadruplex existere visa moles,  
**Deus.** Congruē pulchri decoranda vero

Nomine Mundi.

Arduas flammā rapuere sedes:  
At grauis tellus medio resedit:  
Quā licet, mox influit huc, & illue  
Flatilis aēr.

Aridam molem, serie vetusta  
Temporum, affusis mare cingit vlnis,  
Lege diuina, metuens statutos

Rumpere fines.

Cuncta, te nostris stud ijs amico,  
Immerentes quos, & amas, & ornas,  
Iugibus certant cumulare donis

Nocte, dieque.

Sufficit pisces aqua, terra fruges,  
Haud & vnius generis metallā;  
Læta maturo sata mitis æther  
Educat imbris.

Fallimur?

# L I B . P R I M V S.

Fallimur? primis an & ista mundi  
A rudimentis tibi gratulantur  
Christe, quem carnis scierint amicū  
Esse tegendum?

Ter quater quondam modicum Bethleemes  
Oppidum felix, laceræ ruinas  
Quod casæ, & strato tibi comm odauit  
Gramine cunas.

Illa nox mille eſt, deciesque mille  
Clara per noctes, radiata puræ  
Ignibus lucis, satiata magni  
Munere partus.

Ite, pastores, pia turba; pupo,  
Virgini & matri bona verba dixitis?  
Ite, iam plenis bona nuntiate  
Gaudia buccis.

Exterè hic pompæ strepitus quis? & quos  
Eminus cerno proceres Eōæ  
Persidis, ductum præeuntis astri  
Ponè sequentes?

Nempe vestigal tibi, Christe, nato,  
Indiæ extremis referunt ab oris,  
Persoluturi triplicis tibi do-  
naria census.

Thus Deo promsere, Deo deorum:  
Optimum, terræ Domino metallum:  
Morte casuro referant odoræ  
Vnguina stactes.

Quantus (heu) torrens rosei cruxoris  
Per vias, vrbisque domos Bethlemæ,  
Per casas, vicinaque rura, fraude  
Regis inundat?

Arte, vi partum tetinere regnum  
Cædibus, ferroque potentiore  
Conuenit: nec sic diurna possit  
Sceptra tueri.

Ibis externas fugitiuus oras:

B

Ibis

H Y M N O R V M

Ibis intactus minimo capillo,  
Christe, septen nem melior fouebit  
Memphis alumnum.

Tu decus mundi, modo cresce, pupe  
Christe, bis senos numeres ut annos:  
Tum, tibi cedet Solymum puello  
Turba sophorum.

Insonet iam limpida vox adulti:  
Rura per, valle que cauas, per alta  
Montium, vox, vox veniae perennis  
Nuntia regni.

Hactenus tristis titubante gressu  
Claudus, in morem saliat fugacis  
Hinnuli, usuram rapiantque lucis  
Lumine cassi.

Qui per humanos dominatur artus  
Corporum obfessor, Stygius satelles:  
Febris, & morbi genus omne, Christi  
Voce facestant.

His tuam gentem meritis, rebellem,  
Efferam, ingrata mōrue, peruicacem,  
Arduo vacors tibi dūm pararit.

Funera cliquo.

Hei mihi, nulla nece mitiori  
Ablui primi poterant parentes,  
Ni crucem, ni liuida, Christe, gestes  
Vulnera tergo?

Non modus, non finis amoris vllus,  
Cui satis non mors facit vſitata,  
Et graues leto subiſſe fauces  
Mortis amaræ.

Intua (ſit fas memorare) regem  
Morte, Amor rerum dominum triumphat:  
Cuncta, rex viuus rediens, sepulta  
Morte triumphas.

Victor ascendis supera alta cœli:  
Te stupent fidi comites euntem.

L I B . P R I M V S .

Alites cantant ter Io, sub alba  
Veste ministri.

Inde, promissi memor usque, regnis  
Patrijs princeps, & inauguratus,  
Igneal linguas specie, sacrum ceu  
Missile spargis.

Interim, nullum patiens perire  
Dux ades præsens numero piorum  
Omnium, dum digna semel rependas  
Præmia factis.

Proinde, quam caſtam modulamur oden  
Arbitro rerum tibi, dexter audi  
Usque dum iuncti Superis nouum pa-  
ana canamus.

H Y M N V S

In Zachariam mutum.

V Erbo Tonantis, ô fideles posteri,  
Aurem applicate, mutientes asperè  
Contrà nihil, prompti, ac alacres obsequi.  
Nam, quod profatur ore maximus Pater,  
Cunctis manet fixum, & perenne ſeculis.  
En, ter trimestri plectitur silentio  
Vnius ob culpam hæſitatiuncula  
Tantus sacerdos, marcidus longo ſenex  
AEuo, rudis cuiuslibet libidinis,  
Natura cui ſpem pignorum praeciderit.  
Sanè monemur, corpus haud emortuum  
Spectare, nec vires leni deperditas  
Curuo, tremente etiam putri ſilicernio,  
Sed quod profatur maximus rerum Parens,  
Qui floridum ver præcipit ſuccedere  
Canis pruinis, horrido & ſoles gelu.  
Quur namq; rex rerū omnium Deus potens  
Numero, aut modo potentiam alligauerit?

**IOANNES EX VTERO MA-**  
*tris loquitur, per Protopopæian.*

**C**hare pater, Domino qui thus adolere solebas  
Funetus sacerdotis vicem;  
Quà licet inclusò, primùm te appello parentem  
Retrusus alto viscere.  
Me natura vetat distinctam reddere vocem,  
Vocem Deus te reddere,  
Elinguem te iure, pater, qui verba Tonantis  
Incredulus parui facis  
Cæca soluturi blæſæ retinacula linguæ  
Ortus mei in crepundijs.  
Quod queo; submissus tubicen, præconia Christi  
Exordior vates mei.  
En, ego Iordanis qui vociferabor ad vndas,  
Saltu loquaci credita  
Munia præuenio: propero præcurrere nondum  
Digressus aluo prodromus.  
Sentio iam Christum præcox iam præco propinquum,  
Nondum meipsum sentiens.  
Heu, genitrix, si te pietas diuina feracem,  
Stupente natura, efficit,  
Exere te (nec te pudeat) mysteria tanta  
Muto profare coniuge.  
Voce ministerium saltantis sedula mater  
Explē, occupa feliciter  
Virgineos Mariæ (sterilis nec mater) honores:  
Gratare & alui sarcinam.  
Tempus erit, quùm nec lateri, nec parcere voci  
Velim, nec ausim pertinax,  
Quùm meus hunc olim protensus gentibus index  
Magnum salutis publicæ.  
Prodiderit clare auctorem. Tùm vertice cæso  
Occumbere extinctum iuuet

Præco-

Præconem. Modicos abscondat inutilis ignes,  
Ardente sole, Phosphorus.

*Natura in partum Virginis Deipara.*

**C**ernite, Terrigenæ, hærentē, stupidamq; parentem  
Partuque percussam nouo,  
Infra me Dominum video, qui lapsus ab astris  
Ferram puerus occupat.  
Nescius antè capi expansa testudine cœli,  
Intra, vñus, ac extra omnia,  
Quùm libitum est, hominis suscepto tegmine, in vlnæ  
Exporgitur nunc vix puer  
Mensuram, male præsepi conclusus in arcto,  
Paucis reuinctus fascijs.  
Hoc scio, quòd nihil huic dederim Natura: Seipsum  
Suapte virtute induit,  
Virginis in gremio, pura de virginе rores  
Sibi architectus exciens  
Corporis in puri structuram. Sed licet ille  
Cuncta inuolarit de meo,  
Algores, æstusque, metusque, famémque, sitimque,  
Et mille vitæ tædia,  
Milleque post vitæ mortalis tædia, mortem,  
Vnum exitum mortalibus,  
Primum catus ille tamen contagia noxæ,  
Virusque natuum effugit  
Vndique tutus, & intactus, cudentis ad instar  
Agni, noui lactis, niuis  
Sithoniæ, si quidue tribus cudentius istis  
In orbè toto visitur.  
Auguror, vt veteris perhibent oracula chartæ,  
Toties nouata & sponsio,  
Hunc ipsum informi meritas dependere poenas  
Mortalium leto omanum.

B 3

Nam,

24 H Y M N O R V M  
Nam, si noxa parit mortem, quur iura subibit,  
Immunis omnis noxiæ,  
Terribilis leti, strata nisi morte redemitos  
A morte stratos suscitet?

H Y M N V S . 8.

*In Christi Iesu Natalem.*

**H**AUD ita post multo (vt perhibent) primordia rerū,  
Præfectumque simul custodem totius orbis,  
Qui maria, ac terras prima ditione teneret  
Arbiter, imperitans florentes suave per hortos,  
Omnipotens Génitor subitò miseratus Adami  
Casu infelicem, figmenti labilis auctor,  
Cognitor atque idem, vixdùm bene crima fasso  
Leniter occurrens, culpam quadam tenus olli  
Ignoscit, meritis figens stata tempora pœnis,  
Dùm, post explicitos reuolutis orbibus annos  
Christus Adamæ prognatus origine, teturum  
Sublimes facinus spontalis victima ad aras  
Expiet, obstructoque viam dux pandat Olympo.

Atqui posteritas deflexa è tramite recto  
Spernit, & vtrices exauget nequior iras,  
Non positura modum virtujs, ni cœca vorago  
Vndique dimissis scelus omne exhauiat vndis,  
Effugiente uno freta vasta, irasque Noacho  
Sæcli in spem nempe, & foeturam posterioris.

Iamque repurgato successerat altera mundo  
Sucrescens ætas varijs populosior oris:  
Necdùm primigenæ spes pacta salutis Iesus  
Adueniens moestas colluistrat lumine terras:  
Sedibus è patrijs, tantùm Sodomitica regna,  
Atque infame nefas gliscens in pessima spectat:  
Nec derrestat humum simulato inuisere cultu  
Hospitis, & triplicis peregrini: visere Abramum  
Iustitiæ in primis, & religionis alumnus,

Excí-

L I B . P R I M V S .

15

Excidijque pio Sodomorum expromere caussas,  
Vt sit & à leto seruandi occasio Lothum  
Immunem sceleris numerosa in fæce nocentum,  
Supplicii immunem, vt culpe: Namq; vltio præsto ei,  
Igneus aëriis deiectus nubibus imber,  
Sulphure commisto, picibusque immaniter atris,  
Terribilem rapidis flamمام exercentibus Euris  
Vindicta grassante Dei: imperioque tremendo  
In fumos regio omnis abit, fluuumque nigrantem,  
Supplicii indicia horrentis, monumenta ruinæ  
In semel arsuri postrema incendia mundi.

Huic non absimili diuina potentia more  
Thariden iustum Chaldæo deripit igni,  
Cui renouet, gnatoque dehinc, renouetque nepoti  
Temporibus priscis certam spem foederis iisti,  
Quam feri memorent in sæcla futura nepotes,  
Venturum Isacidis lapsam qui restituat rem,  
Interea, ex leges dum desæuire tyrannos  
Annuit, & pleni mensuram explere furoris:  
Siue repugnantem placitis cœlestibus olim  
Quindenis toleret vicibus, totidemque rebellem,  
Qui premit imperio Memphim, Nilique paludes,  
Denique Erythræis clausum quem absorbeat vndis:  
Siue per Assyrios lædi sua numina fines  
Iure indignetur, proiecto rege per agros,  
Per saltus, montesque feros, & inhospita saxa  
Infra omneis homines, vt non, aut vix homo, carpat Nabucho-  
donoZor.  
Gramina, diuinos qui stultè usurpat honores.  
Quid, quod & adiunctam sacro sibi foedere gentem,  
Quam sibi sepositam testatur more peculi,  
Hortetur, cruciet, suspendat, lacet inanis  
Spe desiderii? promissor sæpè cupiti  
Aduentus? nusquam visus, nusquam agnitus ullis  
Conspicuus terris habitator, & vrbe suorum?  
Scilicet obtusi hæc rimamur pedore cœco  
Consilia, humanos longè excedentia captus.  
Coniicimus tantum, docti & deprendimus vsu,

Sic

Sic polijisse tuos, ista & ratione tuorum  
 Explorasse fidem, sic exhaustire nefandos  
 Ausus lucifugi Sathanæ, sic ludere & artes  
 Primi impostoris, meliori fraude, cruxis  
 Iacturam rosei facientem, pæne peremptis  
 Omnibus his, scripto quicumque, aut voce diserta  
 Quodlibet in facinus, remis, velisq; vehuntur  
 Intrepidi auriculas mordaci radere vero  
 Peccatum, pleni irarum, plenique minarum:  
 Quisquis is est sacro præcordia concitus cœstro,  
 Ut cadat hic gladijs, sibi ille aut grandine vates:  
 Zacharias dum delubrum cadat inter, & aram  
 Plurima vaticinans quæ crassior hand ferat auris:  
 Aduentare Deum regem, qui virgine cretus  
 Suscipiat regni non deficientis habenas.

Ergo Deus, Deus hic Christus sub carnis amictu,  
 Christus adest, veroque Deum se lumine prodit  
 Virtutum iubare effulgens, & imagine Patris,  
 Tempore quo ad summa excreuit fastigia regnans  
 Impietas obsepta malis, st̄pata furore,  
 Dum Deus aut nullus curans humana putatur,  
 Aut diuinus honos ligno, aut impenditur auro.

Dum caligo alijs, nocturnus & horror, & error  
 Terrigenum infudit, iuuat illucescere solem  
 Fronde hilarem, fontemque boni, altorēmq; caloris.

Salve ô Sol, ô vitæ opifex, & origo salutis,  
 Solus inexhausta Sol lustrans lampade mundum,  
 Sol, ortus, obitusque expers, pater optime rerum,  
 Natus patris summi, quicum diuisa potestas  
 Aequa tibi est, æquo; nec non cum flamine, mensu,  
 Si quid diuiditur mensus ignara potestas.

Sol oculæ ô mundi, lucisque perenne vehiculum,  
 Omnia prospiciens, viden' ut contagia totum  
 Opplerint scelere infando, & fetoribus orbem  
 Omnigenis? Ut quisque pius, rarissima turba,  
 Ulterius non ferre queat, ni lapsus Olympo  
 Lernæ execrandæ properes haurire mephitim.

Ergo

Ergo ades, & terras felix, ac faustus oberra  
 Difficiens tenebras, refugæ confinia & umbræ  
 Calfaciens radijs torpentia frigore regna,  
 Et sola fœcundo collustrans lumine, & auctu:  
 Ut gens digna Deo plenum sobolescat in æuum.

Auree Sol, germana tua est argentea Luna  
 (Nil etenim nisi germana est Ecclesia Christi)  
 Germanæ suffunde tuo de lumine lumen,  
 Complevit vacuum iunctis dum cornibus orbem.

## HYMNVS 9.

*In eundem Christi Iesu Natalem.*

**A**ntè, infelici quam diras arbore fruges  
 Deriperet, purus labis Adamus erat.  
 Sordibus, heu, fœdis, stolido temerarius esu,  
 Protinus infecit sequē, suumque genus.  
 Hinc labor, ærumnæ, dolor, & metus, exilium, mors:

Morte mala infensi peior & ira Dei.  
 Prona Dei bonitas veniae solatur egenum,  
 Promissa Stygij vindice Prole doli.  
 Mille fidem faciunt hinc vatum oracula, ne spes  
 In ventos seræ posteritatis eat.

Dicta iterant valleque cauæ, collésque supini,  
 Quæ reboent alto templo recussa tholo.  
 Dura animo, non longa mora est, ô nata Sionis  
 Mœsta, vaga, & lacrimis squalida, & illuie.  
 Temporis exacti paetus tibi voluitur ordo,

Quum generi defit duxque, paterque tuo.  
 Ecce venit, specie præstans, & criminis exors  
 Filius, ecce, Dei, rex tuus, ecce, venit;  
 Qui tibi prospiciat preciosæ vestis honorem,  
 Fletibus abstersis, & tua sceptræ regat.  
 O sine nox tenebris, ô noctis amabile lumen,  
 Quæ reseras faustum, tempus in omne, diem!  
 Nasceris ecce nouus de virginе, Christe, puella,  
 Ut vetus è terra virgine, factus homo est.

C

Salue,

Salue, magne puer, terras super, & super astra,  
Delicium Matris, deliciumque Patris.  
Cresce, auguste puer, nos ut crescamus & in te,  
Ad Superos, per te, turba vehenda choros.

## H Y M N V S 10.

*In eundem Christi Iesu Natalem.*

**H**Vmana, vox, sodales,  
Miscentibus suaves  
Modos poli ministris,  
Cur tandiu filescat?  
Par est, vtrumque cœtum  
Pari simul beandum.  
Fœlicitate, mistim  
Dei sonare laudem.  
Primæua lux profantis  
Dei secuta iussus,  
Nascente mundo, opacis  
Effulsit è tenebris.  
Silente nocte cæca,  
Dium iubar pusillæ  
In mœnibus Bethlemæ,  
Diuinius refulsi.  
Delapsus è superni  
Patris sinu, pudicæ  
Satus Deo puerlus  
Implet sinus puellæ.  
Descendit expetitæ  
Pacis Deus sequester,  
Qui summa flectat imis,  
Qui iungat ima summis.  
Natura non suetos  
Miratur ipsa partus:  
Sese stupet Parentem,  
Quæ nescijt maritum.

Ex

Ex horridis tenebris  
Aspectat ipse, nec scit  
Ad sacra bella natum  
Caliginis dynastes.

Quæ bella, qui triumphi,  
Manent ducem puellum!  
O quanta se recondit  
In pustione virtus!

Adortus est Adamum

Pugnâ artifex iniquâ:  
Dolum malum repeller  
Dolo æquiore Christus.

Quid non inusitatum,  
Et grande molietur  
Plenus puer dierum?  
Sæcli Pater futuri?

Mauortios tumultus,  
Bella aspra submouebit,  
Et pace restituta  
Fas, & pium reducet.

Altræa, quas reliquit  
Offensa fraude, terras,  
Amiciore vultu  
Spectabilis reuiset.

Vixisse non pigebit  
Æuo beatiore:  
Magè pura ter recocto  
Rex sœcla condet auro.

Surdo recludet aurem,  
Cæco auferet tenebras,  
Et blandioris æthræ  
Lumen dabit fruendum.

Morbi graues, auaræ  
Mortis truces ministri,  
Instante fortiori  
Ductore, terga vertent.  
Abiectus exulabit

Daniel,

C 2

Vænis

## HYMNORVM

Vænis aquosus hydrops,  
Febrilis vt nec horror  
Statim recurret horis.  
Tum claudus expedito  
Cursu viam vorabit,  
Vt æquet insueta  
Pernicitate ceruum.  
Quid? quod potente iussu  
Non amplius ferenda  
Corruptionem putrem  
Excibit è sepulchro?  
Quid? quod tumultuosas  
Mox Tartari cohortes,  
Verbo tonante, fluctus  
Propellet in marinos?  
Non admodum necesse est  
Mirari, quod olli  
Non fluctuante planta,  
Durecat vnda Ponti.  
Vt nec est, furentes  
Quod bella saeva cauri ab-  
rumpant; Salum quod iras-  
Dicto ocyus remittat.  
Væ nuntiat tibi, Mors,  
Tot diuti rapinis:  
Vagitus minatur  
Mortem tibi puerus.  
Væ, væ tuis lacunis,  
Inferne, comminatur,  
Exhauriet profundum  
Chaos Redemptor orbis.  
Configet ille trunco,  
Trunco arboris præaltæ  
Chirographum vetustæ  
Post sæcla tanta, noxæ.  
Vultu innocentie, casti  
Recessibusque cordis

Iram

## LIB. PRIMVS.

Iram grauem supremi  
Delenet Parentis.  
An fallor? an frequenti  
Non angeli volucres  
Et hinc, & inde cingunt  
Natum recens corona?  
Videre conuolantes,  
Audire concinentes  
Sum visus, & replere  
Tecta obsoleta cantu.  
Qui feruor accinentum,  
Honosque supplicantum  
Ter maximo virorum,  
Regi Deo Deorum!  
Diuinioris, ô si  
Mortalibus caducis,  
Partem, licet pusillam,  
Impertiant camenæ!  
Non oris ista laus est:  
Mortalis; inquino  
Soli melos negatum,  
Celi decet choreas.  
Fas sit referre carmen,  
E nuntijs Olympi  
Quod detulere raptum  
Saltem, gregum magistri.  
Hymnos, decus supremum,  
Et vota nuncupamus  
Regnum Deo tenenti  
In arcibus supremis.  
Pacem, Dei Parentis  
A sede deuocamus  
Terræ incolis, quibus sint  
Arrecta corda celo.

Gloria in  
excelsis  
Deo.

Et in ter-  
rapax ho-  
minibus  
bona vo-  
luntatis:

*In Natalia eadem, sive, Pastores.*

P Astores niuei perugiles gregis  
 Gens arcere lupos docta, & inertiam:  
 Pastorum columen, præcipiti, Deum,  
 Cursu quærite, quærite.  
 Fas est innocui vos pecoris duces  
 Quæsiſſe innocuos innocu um d ucem:  
 Viſbs Bethlemita quem paruula paruulum  
 Edit, viſere pergit.  
 Aspectate, humili vt deliteat casa  
 Nec ius hospitij rerum opifex sibi  
 In turbis hominum morte cadentium  
 Vllum durius arroget.  
 Congesta hæc tuguri cespite culmina  
 Conducta aut pretio fortean, aut prece,  
 Vestris semirutis, dicte, rustici,  
 Distent, necne, mapalibus.  
 Non murus reicit, non ſera contumax  
 Pulsantem: domus hæc peruia cuilibet:  
 Ad cunas pueri, publica cui ſalus  
 Demandata, aditus patet.  
 Sunt spelæa feris, antraque vulpibus  
 Aptè effossa, yagas nidus aues capit:  
 Qui natus puer est, qui datus omnibus,  
 Certa non capitur domo.  
 Hoc quidquid tuguri, dignum homine, & Deo est  
 Summos iustitiam quod doceat viros,  
 Nili Pyramidum stultitiam arguens  
 Arctæ straminibus calæ.  
 Hoc lectum est stabulum, quo iaceat puer  
 Strictis fasciolis, gramine in arido  
 Quem turbæ tenui perugilantium  
 Verax nuntiat angelus.

Non

Non sit pauperies fôrdida, nec grauis:  
 Purum pura decent omnia: cernite  
 Casti sub titulo coniugij recens  
 Natum virginem virginem.  
 Ruris ſimplicitas, credula, tutius  
 Hec dijudicat, haud subdolus vrbium  
 Astus, ſepè Dei confilia eleuans  
 Insulis rationibus.  
 Pastores atauos, vnde genus trahit,  
 Reges & referet purpureos puer,  
 Paltorem ſimulans egregie pedo,  
 Ceu regem diadematæ.  
 Desertis gregibus, ſi pecus vnica  
 Erret de numero forte bidentium,  
 Hanc ſublatam humeris strenuus ilicò  
 Reddet duxor ouilibus.  
 Terra iura dabit Rex, dabit & mari,  
 Sefforem accipient lucida sydera,  
 Sed complexa pedes terra iacens piè  
 Seffori famulabitur.

*In Circumſionem Christi Jeſu.*

V Accē tenellis parcite fœtibus,  
 Ædis magistri, parcite fœtibus  
 Balantium matrum, petulcis  
 Et reuocate manus ab hoedis.  
 Nunc ad cruorem namque animalium,  
 Craſſoqué fumos, extaqué pinguia  
 Faſtidiosus Coelitum Rex  
 Nauseat, & iubet abrogari,  
 Ritus vetustos, vel proprij volens  
 Mutare ouillum ſanguine ſanguinem  
 Nati, omnium noxas resoluens  
 Ah nimij pretio piaci.

Culpis

## H Y M N O R V M

Culpis onus st scilicet omnium  
In templo Patris pūsio prodeat,  
Ritumque genti præstitutum  
A Genitore Deo sequatur.  
Cultro expedito sacrificus minax  
Culpa vacantem terruerit, silens  
Qui mox oui pat sit futurus  
Ad lanij gladios silenti?  
Libet cruxrem pūsio primulum  
Voto obligantis nomine tesseræ  
In morte libaturum acerbæ  
Suppicio grauiore pœnas.  
Constans ad aras stet Patris hoc die  
Casura nondum victima, sed prius  
Nomen salutaris reporteret  
Officij ratione dignum.

Jesus Ser-  
uator.

## H Y M N V S 13.

*IN DVLCISSIMVM, EX OPTATISSIMUM; & Augustissimum nomen  
Domini IESV.*

**R**egnator Orci diuinitijs potens,  
Prædator hinc iam terrigenum exulet:  
Ad bella nati nunc pauescat  
Nomina vel pueri tremenda.  
Si quis veneni pocula Colchici  
Exsorpsit, aut est vulnere saucius  
Serpentis, atro aut dæmone actus,  
Nomine saluus it efficaci.  
*Nemo po* Ast illud aptè qui volet exprimi,  
*teſt dicere* Cœlestis aulæ viuificum prius  
*Jesus Chri* Flatum hauriat, non expiatis  
*ſtus, niſi* Nomina ne temeret labellis.  
*in Spiritu* Cælarit olim terribilis Deus  
*Sancto.* Patres vetustos mystica nomina,  
Signis paternis exarata,

## L I B. P R I M V S.

Ore hominis memoranda nunquam,  
Ritus timendos relligio vt vehit:  
At Cælitum dux posterioribus  
Contra fauens sæclis, amicè  
Nuncupat ore hominis per orbem.  
Nomen sonandum rebus in arduis,  
Rebusque lætis lætius, vt Dei  
Templa alta nunquam gratius vox,  
Aut citius penetrare poslit.  
Agnoscit illud nam Genitor libens,  
Nato quod ipsi flagitat inditum;  
Ne quis ferat turpem precator,  
Nomine fretus eo, repulsam.  
Natum iubetur dicere sic prior  
Quæ sit parens verissima filij:  
Iosephus hinc vt cum pudica  
Virgine curet & ipse natum.  
Incongruè nec lapsus ab æthere  
Ales minister nuntiat hoc idem,  
Qui fert suam acceptam supremi  
Vnigenæ Patris & salutem.  
Ex quo superbi gloria Phosphori  
Audax honores surripere haud datos  
Fœtentis atra cum cohorte  
Truditur in tenebras Auerni.  
En nomen astris tam venerabile,  
Tellure quâm sit vel super infinia,  
Vt cælites, terræ & coloni  
Gaudia consocient salutis.  
Gens ista flexo poplite supplicat,  
Adsis Iesu, iusta petentibus,  
Te deprecari, est impetrare:  
Te memorare, epulum perenne est.  
Tu mel palato, tu capiti decus,  
Fessæque menti tu stabilis quies:  
Tu festa lux vultu sereno  
Exhilarans animos dolentum.

D

## HYMNO RVM

Tu dux vaganti, tu via deuio  
 Pressis leuamen, fons sicut eis:  
 Tu robur infirmis, & idem  
 Exulibus profugisq; asylum.  
 Clamamus in celum, ter, & amplius,  
 Ad sis, Iesu Maxime, & Optime:  
 Ni nomini respondeas huic,  
 Præcipites subito perimus.

## HYMNV S 14.

IN TRES MAGOS, SIVE IN  
*'Epiphaniam Domini Iesu.'*

**Q** Vid istud exterorum  
 Prolixiore pompa,  
 Iter laboriosum  
 Affectat in Bethlemen?  
 Persas vides, Eoo  
 Ductos ab orbe, cunas  
 Regis noui, regente  
 Astro nouo, petentes.  
 Quur Ascalone natus  
 Non exteris comes fit,  
 Cum regibus tetrarcha  
 Supplex Deo futurus?  
 Regno ille fraude parto  
 Timens, nefanda versat:  
 Eludet at dolosos.  
 Vis dia cogitatus.  
 Quur pontifex, & ædis.  
 Hic deficit minister,  
 Peritus ordo sacræ  
 Proferre sensa legis?  
 Omnes sciunt Bethlemen,  
 Partu inclyto beandom:  
 Sed consueta reddit  
 Auri cupido cæcos.

Ergo

## LIB. PRIMVS.

Ergo libris Balami,  
 Gentilis & Sybillæ  
 Docti, recens nitentis  
 Ductum sequuntur astri?  
 Rimatur, vt libenter  
 Gens, syderum choreas,  
 Sic singularis astri  
 Mox deprehendit ortum.  
 Solertiore multo, &  
 Fœliciore cura  
 Ductu recentis astri  
 Regem nouum requirit.  
 Vrbem sacram subintrant:  
 Crudelis ora regis  
 Regem nouum petentes  
 Palam nihil verentur.  
 Stella excipit viæ dux,  
 Ex vrbe prodeuntes:  
 Et iam quieta duxtrix  
 Impendet in Bethlemen.  
 Propè insidere visa est  
 ( Ne forte diuagentur )  
 Pauperrimæ propinquis  
 Domunculae tuinis.

O quæ Magis voluptas,  
 Post tot periculosos  
 Longæ viæ labores  
 Votis suis fruisci.

Quam dulcè conspicari  
 Gestu decente, cultu  
 Casto, pudente vultu,  
 Regis noui parentem.

Quam dulcius monarchæ  
 Aduoluier puello,  
 Vnum tribusque donis,  
 Trinumq; demereri.

Magnum est Deum Deorum

D 2

Thure,

## HYMNORVM

Thure, omniumque regem  
Auro, liqueente myrrha  
Terræ incolam fateri.

Heu cæcitas Hebrææ  
Semper furore gentis,  
Cuius fidem fides hæc  
Praeuertat exterorum.

Mosen habent prophetas,  
Et omne scriptorius  
Sacrae genus : quid ultra  
Querantur obstinati ?

Gens Christiana felix,  
Gens substituta hebræis,  
Astro, libris, Deique  
Praesente docta Nato.

O fausta lux, Hebæos  
Iunctura Christianis,  
Qua plebs vtrinque concors  
Vnum Deum sonabit.

Hoc præstet ille pastor  
Qui cum cruento vitam,  
Oulis vtriusque  
In gratiam, profudit.

Sit laus honorisque perpes  
Vni Deoque trino,  
Qui regnat & triumphat  
In omne solus æuum.

## HYMNVS 15.

*Eodem die ad Christum.*

**T**E regem reges auro venerantur, eidem  
Mortalem myrra, thure Deumq; colunt.  
Nos homines hominem, regum regemque fatemur.  
Atque Deum (sine te si Deus) esse Deum.  
Thus, aurum, myrra non dem tibi Christe profundā.

Cum

## LIB. PRIMVS.

Cum precibus lacrimas, cum lacrimisq; preces;  
Illas, vt maculas vitæ, & contagia demant:  
Has, vt virtutum grandia dona ferant.

## HYMNVS 16.

*In Simeonem.*

**D**Efessos ætate senes, in vertice caluo  
Canitie aut niuea insignes, venerare iuuentus,  
Quos tibi commendat longa experientia rerum,  
Consilium & viuax, moribundo in corpore, pubis  
Præcipites cohibens, sedato pectore, cursus,  
Obstipos, titubante gradu, nec poplite firmo,  
Nictantes, hebeti figentes lumine terram,  
Multiplices acti memorantes temporis annos,  
Queis bonè dispensent præsentia, iuncta futuris,  
Prætrepidos tanum recto discedere, & æquo,  
Veridicos, blaso stridentes quamlibet ore,  
Omnibus in rebus studiolos querere verum,  
Haudq; opportuno pauitantes tempore fari.  
Præcipue ethereq; quos calfacit halitus aure,  
Quantumvis senio egelidos, stellantis Olympi  
Acrius artificem metuentes morte propinquia.  
Talis erat Simeon, sanctus cui spiritus aurem  
Vellit, & extremis vetuit concedere fatis  
Ante salutiferi visa incunabula Christi.

Senserat instinetus diuini percitus cestro,  
Deferri optatum sacra ad delubra puellum:  
Nec iam longa via est vetulo, nec tardior est pes  
Inualido, cui vim, cui robur suggerit intus  
Imperiosus amor, Christique incensa cupido.  
Ecce autem, vt templi spatiofa per atria vidit,  
Irruit, expansis puerilia membra lacertis  
Implicat, & lætum vocali gutture carmen  
Expediens, facta & pueri, matrisque tesoluit.

Scilicet hoc longo est exposcere tēpore Christum,

D 3

Aduen-

Aduentus sperare Dei nocte lque, diésque:  
 Annis à teneris scrutari, & discere Christum;  
 Inque sinu tepido comprehensum mortis in horam  
 Extremæ, dubij per cæca pericula cursus,  
 Lubrica per vitæ, fidei vincere lacertis.  
 Sic mihi post vitæ iuuenilia crimina saltem,  
 Multiplicesque viri lapsus, iam, iamque senectam  
 Reptantem in foribus, Christi, & virtutis amore,  
 Compositis animis mutare, & fine beato.

## H Y M N V S 17.

*In Annam veterem Prophetissam.*

**E**cce Redemptori procedit & altera testis  
 Fœmineo è texu, fidei quoque plena virago:  
 Fessa annis itidem, verùm indefessa labore,  
 Et desiderijs, promissa luce videndi  
 Celicolum regis Solymas qui rector habenas  
 Suscipiat toto profligans orbe tyrannos.

Daniel,

Qualis ab excelsi decisus viscere montis,  
 Haud opere humano, vi sola Numinis alti,  
 Voluatur per plana lapis, quo nempe ruente,  
 Structa feratur humo, quæcunque tyrannica moles  
 Vertice sublimi nuper feriebat Olympum  
 Ambitione tumens regali turgida fastu.  
 Nunc gemit æternam, lapide exsurgente, ruinam  
 In decus æternum, summiq[ue] cacumina montis  
 Talia vulgat anus Solymam celebrata per vibem  
 Laude pudicitiae cœlebs post fata mariti,  
 Ultra octoginta, subiunctis quattuor, annos:  
 Cui spreuisse voluptates, stidiūmque precatu  
 Continuo, & votis placabile flectere Numen  
 Opparenti adeò, quem suspirabat in æde  
 Augusta, Isacidum regem, auctorēmque salutis  
 Scilicet æthereum, nec spe delusa, tuetur  
 Infantem, notat illa manus, sacra ora veretur

Rursus,

Rursus, & ad castam reflexa subinde parentem  
 Gratatur dignos generosa virgine fœtus.  
 Fausta canens densis, sinuosa per agmina, turbis  
 De puer, quem gens disperdita Seruatorem  
 Vix numerabilibus misericordi suspirat ab annis.

## H Y M N V S 18.

*Infanticidium.*

**C**ape arma, dure miles:  
 Exercitum Bethlemæ  
 Inferre perge campis  
 Edicta regis urgent.

Exterruit Tetrarcham:  
 Natus recens puellus:  
 Grande imminet tyranni  
 Periculum tiaræ.

Pars vna rura vastet,  
 Agrestibusque villis  
 Infusa, contrucidet  
 Pilo vel en'e, pupos.

Portæ incubet citatus:  
 Vrbeculæ satelles:  
 Indago militaris:  
 Cingat repente muros:

Campis duplex it agmen  
 Lymphata mens vtrisque  
 Conspirat in puelli  
 Cuiusque turba mortem.

Per rura per Bethleham:  
 Inferuient tyranno:  
 Cohors scelestæ, natum:  
 Interficit tyranni.

A strage Christus unus:  
 Subductus hac cruenta  
 Memphis receptus.

*Filius Herodis interfectus.*

Hospes

# H Y M N O R V M

Hospes quiescit oris.  
 Quem suscipit fouendum  
 Semel Parens supremus;  
 Non astus inuidorum,  
 Non vis, furor que perdet.  
 Prouidit ergo Nati  
 Fugae, Parens supremus:  
 Habet vnde viuat exul  
 Donarijs Magorum.  
 Immo duces Eeos  
 Qui nuper accit ad se,  
 Nunc se Pharo, vel hosti,  
 Communicat fruendum.  
 At interim furori  
 Concedit ille regis,  
 Absens & ad triumphum  
 Puer vocat puellos.  
 Dispar vtrinque pugna est,  
 Commissus obsecrante  
 Cum matre miles instat:  
 Medium tenent puellos.  
 Impunè abire matres  
 Miles sinat, puellos  
 Si dent neci: redundant  
 Discrimen in puellos.  
 Est qui puer tuetur  
 Se fletili querela:  
 Ioco haurit alter ensem:  
 Omnes cadunt ad vnum.  
 Euge, euge, sanguisuga,  
 Io canat satelles:  
 Haec efferi celebris  
 Victoria est tyranni.  
 Sic occidisse par est  
 Inglorios, inermes,  
 Testes idoneos qui  
 Dehinc se volent Iesu.

Salue

# L I B . P R I M V S .

Salue beata turba,  
 Cui cælitum dedit Rex,  
 Quod ore pernegatur,  
 Cruore confiteri.  
 Salue beata turba,  
 Cruore quæ loquaci  
 Haud alteri canendas  
 Odas canis per æuum.  
 Vale, tuas perennes  
 Agno probante laudes:  
 Nobis & audiendos  
 Saltem precare cantus.

# H Y M N V S 19.

## D E A Q V A I N V I N V M mutata, per dialogismum.

Q Vò Christus? an-ne ad nuptias?  
 Sic, cum parente virginē  
 Virgo Mariæ filius  
 Ductor nouus fodalium.  
 Quæ caussa? Si mortalium  
 Natura non contemnitur,  
 Verbum Caro factus Deus  
 Carni dat hoc, & sanguini.  
 Et ius, & æquum postulant  
 Ut par honoret coniugum,  
 Primo cui sit tempore  
 Fœmella iuncta masculo.  
 Quo sæculis prioribus,  
 Hoc consecratur auspice  
 Recentibus nunc sæculis  
 Tori iugalis copula.  
 Accedit ergo satrapæ  
 Potentis ad connubia?  
 Immò vt leuet pauperculi

E

Conuiuij

## HYMNORVM

Conuiuij pænuriam.

Mater pudori consulens  
Quoad potest , nubentium,  
Accepta visa est durius:  
Defit meri , inquit, copia.

Nil hic tibi negotij est  
Mecum , intulit . sed filio  
Tantum iubet materculam  
Diuinum opus committere.

Aduertit hæc , & , filius  
Quid moliatur , olfacit;  
Tum, quidquid ille iusserit,  
Iubet ministros exequi.  
Nouum illicò miraculum:  
Vim namque diam sentiunt.  
Quæ sex ibi per ordinem  
Palam locantur amphoræ.

Gustat, regulstat optimum  
E lippidis aquis merum:  
Miraculi fidem facit  
Architriclinus insciens.  
Christo tuo quid debeas  
Expende, Christi sanguine  
Piata gens : vitam tuam,  
Si me audias, & sanguinem.  
Qui namq; priscis extudit  
Saxis aquarum flumina,  
Generosius tibi merum  
Largetur, immò & sanguinem.

Et quid mero incalescere  
Mortalium gens algida  
Cundatur, vndantissimo  
Animariérq; sanguine?

## LIB. PRIMVS.

## HYMNVS 20.

*In Transfigurationem Christi Iesu.*

Non visitati mirificum genus  
Cerno theatri, vertice in arduo:  
Vulgus profanum sed corusci  
Limitibus volo abesse montis.  
At ne quis huc forsan temerè irruat,  
Fusos humi tres spectet Apostolos  
Iacere, tantarum impotentes  
Pondera sustinuisse rerum.  
Christi sodales quamlibet intimos,

Necdùm sat aptos colloquijs patrum  
Siue Eliæ Moysiue magni,  
Fata Dei, atque hominis canentum.

Hos inter ambos emicat aureo  
Vultu, diurnæ lumina lampadis  
Æquans Iesu, eque amictu  
Eiaculans niueos colores.

Miratur orbis fulgura duplicitis  
Ardere solis, siue iugo editi  
Summo Thaboris, siue cœli  
Terga repanda super corusci.

Terni intuentur discipuli duos  
Pacti prioris discipulos pari  
Gaudere congressu, prophetæ  
Quem cœcinere pares, Iesu.

Iam doctiores cominus Eliam  
In luce spectant , & dominum Eliæ,  
Non quemlibet vatem prophetæ,  
Sed columénque caputque vatum:

Cœli imperantem culminibus vident  
Cœli colonum ponere culmine  
Montis sacri, terraque, Mosen  
Restituisse diu sepultum.

Primum quidem sic noscere filium  
Dulce est Parentis maximi, & optimi:  
Mox ad tremendum tres necesse est  
Corruere elogium parentis.  
Vocis paternæ sœua tonitrua  
Tellus perhorret, sub trepido pede  
Labentium; disperuere  
Voce Patres veteres abacti:  
Ut iuniores progenitum Deo  
Cognosse discant per nitidum iubar  
Nubis cauæ, per fulgurantes  
Conspicua deitate vultus.  
Namq; alleuandis commodius suis  
Magui Parentis filius admouet  
Dextram: tamen mandat taceri  
Monte suis patefacta in alto,  
Post atra donec funera tertiae  
Luci videndum se referat, nouæ  
Splendore formæ, non senectam  
Non metuente nitore mortem.  
Nos qui retrusi tempora in ultima  
Restamus, hæc transmittere in ultimos,  
Si fortè qui restent, nepotum  
His cupimus numeris nepotes:  
Regnare cœlo non genitum Patrem,  
Regnare Natum progenitum Patre  
Vno unicum: conformem utriusque  
Ire, simulq; redire Flatum.  
Nos voce sternit terrifica Pater,  
Dextra pauentes filius erigit:  
Nos spiritus rectos adhalans,  
Nube velut sinuante, in umbræ.  
Sit laus supremo, gloria sit Patri,  
Nato supremi gloria sit Patris,  
Et Pneumati: sit Sacrosanctæ  
Laus, & honos Triadi per ætum.

IN INGRESSVM CHRI-  
*stii Iesu in Hierusalem.*

**N**Atæ Sionis inclitæ,  
Vos dira machinantum  
Exercuere plus satis  
Impressiones hostium.  
Iam sat fuitis gentium  
Hucusque vulgo fabula:  
Sat risui iam, sat truci  
Prædæ fuitis barbaro.  
Vos in malorum fluctibus  
Confirmet Abrami nepos:  
Fraudata Iudea iam tribus  
Honore moeret regio.  
Metu, dolori parcite;  
En liberator omnium  
Rex mansuetus aduenit,  
Et Rector innocentium.  
Non turbulenta perstrepit  
Tubâ, fragore curruum:  
Ad bella natus martia  
Nec stipat illum quadrupes.  
Moras inanes tollite,  
Vrgete gressum concitæ:  
Iam montis accliui iugo  
Per plana vectus labitur.  
Et quid videre vosiuuat,  
Vernantis oris gratiam,  
Lætosque frontis aureæ,  
Lætosq; honores luminum?  
O quam verendus obuijs,  
Totusque dulcis aspici?  
O, ne leues, amabilem

H Y M N O R V M

Placabilēmque spernite.  
 De se modestē sentiens,  
 Non asper, aut vlli grauis  
 Nec panda asellæ simplicis,  
 Nec terga pulli rennuit.  
 Sic callet in bruto Deus  
 Miris modis pro ludere,  
 Solerter in stuporibus  
 Venans aselli gloriam:  
 Amanter ut laboribus,  
 Et sarcinarum pondere,  
 Angoribus, vibicibus  
 Parat suis victoriam.  
 Sudoribus non ciuim  
 Se pafeat, atque sanguine,  
 Qui regna vestra, sanguinis  
 Sui profusus, suscipit.  
 Glaucas oliuas, candidæ  
 Pacis sequestro spargite:  
 Palmas reseatas tendite,  
 In proximo victoria est.  
 Iactos amictus per viam  
 Regi Deo sub sternite:  
 Cantu, sonoris vocibus  
 Celi ferite sidera.  
 Dauidis alto sanguini  
 Congratulantes, dicite:  
 Seruator anxijs ades  
 Demisse princeps cælitus.  
 Sic nos modis communibus;  
 Deo Parenti, filio  
 Dei Parentis, Flatui  
 Sancto, perennis gloria.

L I B. P R I M V S.

H Y M N V S 22.

*In sacram Synaxin.*

**M**Vndi valete curæ edaces labilis,  
 Fumose honos, vale, & voluptas subdola,  
 Lætaque fronte suauè blandiens fauor,  
 Cœnæque dubia, & perfici conuiij  
 Luxus capax, caduca in horas gaudia:  
 Accersor ad festas mei Christi dapes,  
 Epulumque sumtu ingente longè maximum.  
 Sed antequam ponam pedes in limine,  
 Exaudiam, Paulina vox quid nuntiet:

Ne quis profanus his sacris se immisceat.  
 Coniuua, sacrum edulium fecernere  
 Ignarus à communibus cibis: Secus  
 Qui faxit, ausus his abuti ferculis,  
 Speret reus penas litendas Iudici.

Hem: Té-ne célo, Paule, abusque tertio  
 Arcana detulisse, quæ fari haud licet  
 Mortalibus: Ritum & simul conuiij  
 Augustioris, traditum Dei manu  
 Sériis nepotibus tuendum in sæcula?  
 Vi consecratus mystico ritu calix,  
 Verbis statis, quibusque I E S V sanguinem  
**C H R I S T I**, piè haurientibus com munice  
 Itidémque sumta parui imago crustuli  
 Verè Deum tegens, Deo nos inserat?  
 Insigne fædus arguens, quo iungimur  
 Amore, non solubili vllis sæculis,  
 Pâsti cibo, redempti eodem sanguine?

Hæc quando sic habent, piatis sensibns,  
 Tersaque noxia, verendis inferat  
 Mysterijs, amore fretus, & fide.  
 Cœnæ apparatum conspicor nouissimæ:  
 Supra duos, decem sodales confident:

Chori

Chori sacri pars proditor nefarius  
Hero necem tacito coquit sub pectore.  
Conuiij structor, vetustam alimoniam  
Nouæ decenter aggregat, sed ordine  
Hoc, vt nouis antiqua cedant ferculis,  
Iteranda nunquam perpeti pastis dape:  
Par est enim, Vero Typos concedere,  
Ceu fugiat vmbra opaca solem fulgidum.

Veteri cibo absumto, sagax promus, sui  
Largissimus, profert nouum in conuiio,  
Quod omnibus sit obuium omni tempore,  
Vt sorte dispari (puta) vitæ, aut necis  
Gustare semper cuilibet sit integrum.

*Cypria-* Hic, dente acuto nil opus, quo mordeas:  
*nus, de cœ Panem* sacrum sincera diuidit fides  
*na Domi-* Solers, quod hominis, ac Dei est, distinguere:  
*nica.* Solers Deum, ac hominem fateri, & iungere,  
Oculi leuis perosa testimonium.

Edulijs nouis Adamus iunior  
Aptè patris prisci medetur vulneri,  
Vetito cibo mortem insitam, vitalibus  
Fugans cibis, Panis, Merique imagine  
Intectus, vt credas aliud, ac quod vides,  
Hominem, ac Deum mero latenter, & crustulo.

Nil visione opus extera esse censuit:  
Mortalis oculus haud ferat sanè Deum:  
Aliàs, eidem consulit percommode  
Rubore seruato meri, atque crustuli  
Candore, Carnem, & Sanguinem ne exhorreat,  
Si dentur intuenda brutis sensibus.

Nec panis, aut meri tibi persuadeas  
Superstitem substantiam consistere:  
Nam perpeti vitæ cibus perpes sat est:  
Cum Pane, & æterno Cibo, qui Christus est,  
Corruptionem Æternitas admirerit?

Ex pane Corpus congruè, ex latice optimo,  
Verbo potens Hierarcha sanguinem creat,

Quòd

Quòd Pane, Vita: gaudium substet mero,  
Per omne tempus exsili, solatio est  
Verax Deus, vero Cruore, & Corpore,  
Querare ne imponi tibi phantasticis;  
Namque ista viù si tuo euangelicerent,  
Quonam modo, aut signo queas tūm sumere  
Robustus, imbecillis, hoc viaticum?

Res ipsa verò postulat, mutarier  
Panem, & merum, Sacris vetustioribus  
Vt hoc recens præpolleat, quod inanum  
Haud vmbra sit, sed maximorum veritas.

Ni vera Christus largiatur Veritas,  
Vmbras opus quid esset vmbbris cedere?

Perpende, Moses alter, hoc miraculum:  
Sed inuolucra pellum prius abiisse.  
Si forsan in partes tibi discinditur,  
Quantumlibet piæ coronæ porrugas:  
Sic totus vni, ceu trecentis totus est,  
Nullo sui factus minor dispendio,  
In ore totus omnium sumentium,  
Humanus vt sermo est in audientium  
Vel mille totus idem, & vnum auribus:  
In parte, toto, totus: in frusto integer,  
Qualis fuit, quum se suis sodalibus,  
Selè ferens, in cœna edendum traderer.

Hoc munus est Christi mei, sub exitum  
Vitæ sodalibus datum charissimis,  
Ne dirior sors imminentis funeris  
Obliuia socijs Amici induceret:  
Sed symbolo, atque tessera hac, cum posteris  
Se sustinerent in diem nouissimum,  
Quo conspicientur deuolantem nubibus.

Noua hæc nouus prodit Magister dogmata,  
Vt Christianus sanguinem iam nunc bibat,  
Lex cuius esum prisca non tulit in suis.

Pecuinus hic sanè crux locum haud habet,  
Quali vetustas oblita est, pro tempore,

F

Tellure

Tellure qui semel obrutus, non vi sua  
Emergit, & multò minus quidquam potest  
Perennis ad vitæ paranda munia.

Brutis suum nunc nos cruorem linquimus  
Intelligentiæ, ac rationis stemmate  
Prænobiles, animantium more emori  
Præstantiore parte nostrum nescij:

Haurimus ergò sanguinem Christi ipsius,  
Christo iubente, confitentes sanguini  
Debere vitam, quam pater superbiā  
Disperdīdit. Pincerna Iesus poculum  
Hoc vniuersis porrigit, quo, non cutem  
Modo illinamus, ita sed præcordia;  
Contage fecis abluendi pristinæ,  
Quæcunque carnem, animumque cuique infecerit,  
Aduersus hostis callidi potentiam  
Vno, & nouo communiendi robore.

Quid horream comitatus hoc tanto duce?  
Quid ambiam Deo beatus hospite?

En, vt per artus se ingerit mortalium,  
Animj recessus imbuens, & corporis,  
Amoris almi mellea dulcedine?

Vt roborat vescis refectos frugibus,  
Vt gaudio perfundit ebrios meri  
Mox haustibus? Sancta ebrietas hæc est pijs,  
Quæ terreum nil, nil caducum iam sapit.

Præclara vis calicis, calente qui mero  
Iam feruefactis eximit sensum sui.

Hinc cernere est, post terga quæ sunt, omnia.

Relinquere, ac in anteriora proripi,  
Spretisque nugis fæculi, cœlestium  
Desiderio æstuare: solum torridos  
Herere probrosæ cruci, ac immergere  
Linguam Redemptoris natantem vulneri,  
Ductuque continentis inebriarier.

Si, aggreger sic cœtui madentium!  
Vt mente captus posterorum examini

Annuntiem Dei refossas filio,  
(Pœnas lueti debitas homunculis)  
Ambas manus, ambos pedes, læuum latus,  
Funusque acerbum, post crux flumina  
In montis asperi iugo exundantia.

Vt impotenti amore Christi saucius,  
Per mille cuneos hostium, per & neces,  
Aut mille, depascentium artus, febrium  
Mortem paciscar vltimam. Tum me iuuet  
Sceleris piatum fôrdibus, flexo capite,  
Animam hanc mei Christi in sinum deponere.

## H Y M N V S 23.

In eandem sacram Synaxin.

**H**Aud tanti fuerit creasse mundum:  
Binas lampades addidisse mundo,  
Vt luci, & tenebris, & illa, & illa  
Partitis vicibus præfasset: haud sit  
Tanti Dædaleam, grauem, rotundam  
Terræ pensilis indidisse molem,  
Æquato stabilem, hinc & inde, centro:  
Quam tot flumina, funderentq; fontes  
Riuis irriguam, arborumque fœtu,  
Herbis, palmite fertili decoram:  
Quam circum mare inaneq; & noueni  
Giro perpeti voluerentur orbes;  
Non gleba aut hominem vuida creatum:  
Non ius totius æstinalo & orbis  
Tanti, Primigenæ à Deo tributum;  
Quanti mystica dona, crux sancta,  
Qua Christus specie (dolosa nescit  
Argumenta fides) dedit se edendum.

Cerno Mnemosynon perenne amoris  
Christi, veri hominis, Dei q; magni:  
Cerno symbola, tesseraque fidis,

Erga nos homines, superni amoris.

Hæc vna omnibus est parata mensa  
Compactisque fide, atque amore vindictis.

Hæc sunt pocula præparata mœstis,  
Communis cibus unus, haud in exta,  
Haud in viscera purulenta carnis  
Huius traiiciendus, at sereni, &  
Depurati animi intimos recessus.  
Vitali dape qua simul refecti  
Cœlcamus simul, atque roboremus  
Succo pleni, alacréaque : sic refecti  
Euadamus & in virum absolutum  
Ineffabilibus modis Iesum.

Insertos iuuet esse nos Iesu  
Mente, & corpore ; corpori, atque menti  
Huius, quo fine vita nostra mors est:  
Hausto quo benè, mors amara, vita est.

## HYMNVS 24.

*In Eandem.*

**F**allaces hominum, tardo sub corpore, sensus,  
Lumina sub plana quæ duo fronte micant.  
Lingua simul, quæ volvi agilis, famulante palato  
Imperitas, gustus scilicet officiis.  
Ad miranda vocat vos hæc spectacula Christus:  
Sed neutrīs vti tefibus ille velit.  
Hic sua conuiui structor mysteria pandit,  
Qui tua conspicuo membra colore tegit.  
Hæc eadem haud stupido committit edenda palato,  
Pristinus eluso nec fugit ore sapor.  
Vos, solidas species, proprium sub imagine corpus  
Tangite (contingi poscit & ipse) manus.  
Christus hic est, quem non constet nisi vera locutum,  
Ignarum falli, & fallere, nempe, Deum.  
Hocce meum verè est (infit) quod porrigo, corpus;

Hic

## LIB. PRIMVS.

Hic meus est, verè qui crux eribitur.  
Ne vos villa mei capiant obliuia ; vobis  
Quæ prior effeci, talia perficite.  
Este mei memores, haurite in sæcula vitam:  
Vos seruate Deum, vos ego seruo homines.

## HYMNVS 25.

*In Eandem Cœnam Dominicam.*

**H**Vc nempe festas adsumus ad dapes  
Accita Christi concio vocibus :  
Atqui nouæ luxum stupemus,  
Fercula non temeranda, mensa,  
Ne, Christiani, credite sensibus  
Tardis : inertii iudicio aurium  
Nil hic opus : nil astruendum  
Teste oculo male perspicaci.  
Dijudicandum quod potius venit  
Rite expiati peccatore credulo,  
Non finiendum syllogismis,  
Quod proprio Deus ore sanxit,  
Sruetorque solers, mirus & artifex,  
Solus creator verbipotens, cui  
Ignara quæ sint ante nasci,  
Protinus adfiliunt vocanti.  
Primo intonabat tempore per chaos  
Informis, cœcum : lux bona clareat:  
Lux imperantis subsecuta est,  
Fulgure præcipitante, iussus.  
Inixa tellus mole sua stetit,  
Mundique centro, emota fragoribus  
Nunquam reualsa est, præstitus  
Limitibus mare vt euagari  
Formidat, vndis quamlibet infemar  
Raucis, & alto carcere rupium  
Arctarier valde recusans.

Littora surda subinde tundat.  
 Certas dies, & nox obeunt vices,  
 Ex quo nigris lux à tenebris, Dei  
 Verbo direpta est, & per æuum  
 Hanc metuit male missonem.  
 Tum iussus est Sol splendidus aureo  
 Vultu, sorori lumina pallidae  
 Partirier, scite ordinatum  
 Menstrui in officiis nitorem.  
 Ambo priores per spatia æquoris  
 Sunt conspicati monstra natantia:  
 Ortam salo turbam-volantum  
 Testificantur abisse in auras.  
 Iisdem tueri viscera contigit  
 Fœcunda terræ, surgere in arbores  
 Syluam comanteis: Omnis formis  
 Quadrupedum species pererrat  
 Istis & orbem testibus, vt capax  
 Mentis sacratae, sanctum animal capit  
 Humente gleba procreatrum  
 Imperium maris, atque terræ.  
 Si qua roges vi primitus omnia  
 Hæc, ambo testes condita viderint,  
 Accepta verbo mox alacres  
 Ätherei referent Parentis.  
 Huc qui pedem fert, grande nefas putet  
 Quæsiſſe: Qui fit, corpus vt hic Dei,  
 Consuetus & farris, merique  
 Et color, & sapor adsequantur?  
 Nec curiosus sit (moneo) nimis  
 Conuiua, finem ponere contumax  
 Dictis Dei, captu retusi  
 Ingenij nimis alta mensus.  
 Solem obtueri, soli Aquilæ datur  
 Nusquam retorto lumine: cæteræ  
 Si fors idem tentent volucres,  
 Damna ferent oculi arrogantis.

Spe fretus, & non ambigua fide,  
 Securus isthæc in penetralia  
 Irrumpet, ac solus beati  
 Lautitijs epuli fruetur.  
 Lex est, profanum absistere limine,  
 Cœlestis exortæ inque almoniaæ,  
 Riuo salubri lacrymarum  
 Diluere omnigenos reatus.  
 Impensis nolo trepidum tamen,  
 Vitalis escæ tempore compotem  
 Nullo: Quid inconsideratè  
 Negligat, effugiatque vitam?  
 En panis alto lapsus ab æthere,  
 Quo vita constet morte cadentium:  
 Hunc quisquis ori admôrit, atræ  
 Fregerit imperium otinere mortis.  
 Stat mensa, non vi, non violabilis  
 Laberit seculo, non populantibus  
 Censoris aduentu propinquo  
 Imiſſa, si mulque summa, flammis.  
 Hæc nempe veras ambrosiaæ dapes.  
 Non destitutas nectare sufficit,  
 Nutritius quo iam saginet,  
 Iamque deos Deus hic alumnos.  
 O liberalis munificentie  
 Nullo silendum carmine gurgitem:  
 O prodigum, partes per omnes,  
 In socios pariles, amorem.  
 Edenda præbes, Rex, tua, proprio  
 Communicato corpore, viscera;  
 Exhauriendum mox propinas,  
 O Thaliarche, tuum cruentum.  
 Tu munus, & sub muneribus lates,  
 Sub fruge vesca, sorbilis & meri  
 Fluxu, adsidens dextræ Parentis,  
 Terrigenarum animos subintras.  
 Tu, tu locum implens, non caperis loco,

**L**ocóque raptos surripis in Deum :

Adsumis ad te, sumpserint qui  
Ligitimo tua dona ritu.

**S**it Christiano cuique , sit hoc mihi

**F**elix rapinæ, & perpetuum genus :  
Non vita, non mors hanc reuellat,

Dæmonis aut rabies synaxin.

**S**ic gratus hospes sim tibi , mutuo

**S**ic faustus hospes sis mihi , te mea vt

**H**æc hospitem sanctum sub astris,  
Et super astra chelys sonabit.

## H Y M N V S 26.

*Quo tempore excipitur Eucaristia.*

**O** Deus, ô Christi, crusti sub imagine, corpus:

O, anima æterno consociata Deo;

**Q**uis sum, cuius ames toties inuisere teclum;

Et pædore, situ squalida & hospitia?

**S**i neque te immensum capiunt tota atria cœli,

Nec mare, nec quantūm maxima terra pateat:

**Q**uid non inuidiæ sibi conflet homuncio , claudi

Si Deus humano pectore sustineas?

**A**t, quiduis potius subeam, plectarque libenter,

Hospitii dulcis quam tibi iura negem.

**S**umere te, nisi me firmes, mens ægra refugit:

Nec faciam, ni instes iussibus, atque minis.

**E**xsors, vita, tui non sim : mora, te sine, mortis

Principium : mors est, te sine, vita mea.

**Q**uando ita vis, en haurio te ; Da, perpetæ sæclo

Te totum toti in viscera traxier.

## H Y M N V S 27.

*Post sumtam Eucaristiam.*

**I**Ncanus, vietus, terram prono ore salutat,

Vixque senex tremulis ingreditur pedibus.

Attamen expansis Dominum complectitur vlnis :

Omnia librantem librat & ipse manu.

Miratur puerum, dictisque affatur amicis

Vix satur intuitu , vix satur alloquio.

Ignescunt agili præcordia feruida motu:

Subsultant alacres, corde micante , sinus.

**H**æc fors est vetuli, patulo quem mors fera rictu

Non vlo quatiat, follicitetue metu.

Quur hominis leuior sit fors huiusc , refecti

Et pasti plusquam nectare, & ambrosia ?

Viuo igitur, nec viuo mihi , sed verius in me

Terrigenum viuit, vitaque Cœlicolum.

Ferte, homines, superiq; hominē super ardua vectum:

Nempe, Deum gestans, quid nisi fio Deus?

## H Y M N V S 28.

*Dum offertur Eucaristia.*

**N**Atē patris summi , Superūmq; hominūmq; vo-

Quo sine, lux tenebre, mors quoq; vita mea est,

A nobis quod habes, & das, tibi reddimus ipsi :

Ecce tuum corpus , sanguis & ecce tuus:

Sic tamen, vt rapti tete conflagratur in vnum ,

Nec nos immemores esse querare tui.

Pro me mortuus es, pro me, bone Christe reuixisti:

Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

Viue, Deus, sed me nullo. Si viuis Iesu,

In me ; nil in me mors fera iufis habet.

## H Y M N O R V M

H Y M N V S 29. Ex Psalmo 22.

**M**E rerum Dominus pascit, nil deerit egenti:  
Nulla mihi sitis est, nulla timenda famæ.  
**Q**ualis ouem pastor per pingua pascua ducat,  
Pascua, quæ viridi gramine luxurient.  
**N**empe ingens rerum sequitur me copia, propter  
Abiectum riuos lene fluentis aquæ.  
**M**e reficit, iuriisque vias mihi ductor, & æqui  
Monstrat, ut illius nomen ad astra feram:  
**I**bo ego confidens tenebras per noctis opacæ:  
Tu mihi dux solùm, tu comes esto, Deus.  
**S**ume pedum, pastor, baculum sustolle; recumbit  
Inque pedo mea spes omnis, & in baculo.  
**H**ostibus in medijs, regali splendida sumtu,  
Et dapibus, per te mensa parata mihi est.  
**M**i coma, mi vertex perfusus odoribus halat:  
Surripiunt animum pocula plena meum.  
**F**occundum calicem vitam me namque per omnem.  
Iste amor, & pietas me tua prosequitur,  
**D**um tua conscendam celestia templa, quietus  
Dumque illic stabili pace colonus agam.

H Y M N V S 30.

*In eandem, ad Christum.*

**E**N, ego sponte tua, teneo te, Christè, receptum,  
Pauperis ut rugi culmina, Christe, subis.  
**F**austus ades, felixque, casam nec desere vilem:  
Obsecro te pacchi iura per hospitij.  
**I**nsere te, tibi tota patent penetralia cordis;  
Hauriat aspectus mens stupefacta tuos.  
**S**i mare, si terras, supera ardua si bonus imples,  
Te careat nunquam pars quotacunque mei.  
**T**u plusquam aurea lux perfunde, ô, lumine totum:  
O Deus, ô tenebris lux inimica meis.  
**I**gnis es, in flamمام rapias: incendia misce:  
Sim cinis: absorptum sed tua flamma voret.

LIBER

LIBER

## H Y M N O R V M

S E C V N D V S.

NÆ N I A I N C H R I S T I  
*Iesu afflictionem.*

Os dulcibus veto iam  
Vltrà scatere lymphis:  
In lacrymas amaras  
Posthac abite, fontes.  
Quotcunq; flexuosos  
Curvus initis, amnes,  
Quotquot solum rigatis,  
Redintegrate Hetus.

Quid dico? Rorulenti  
Cutsum tenete, riui:  
Fons lucis, ac amoris  
Obit: manete fontes.

Fluuij, pedem referte,  
Aut expiate fusum  
Montis iugo supini  
Innoxii cruorem.  
Vos impares & amnes,  
Vos imparesque toti  
His fletibus, querelis  
Singultibusque, fontes.

Non gurgites marini  
In lacrymas soluti  
Ex morte captum iniqua  
Æquauerint dolorem.  
Si luna, quæ marinos  
Sistit, ciétue fluctus,  
Regnis superbit vdis,  
Quar pressit ipsa fletus?

G 2

Si

## H Y M N O R V M

Si flere sit tributum  
Et ignibus minutis,  
Quos nox habet micantes,  
In lacrymas abissent.

Ignes & hi minores,  
Et Luna conspicata est  
Torrentis alta Christum  
De more transeuntem.

Hortis videt receptum,  
Et anxiè precantem:  
Inter stupet pauores  
Cruore diffluentem.

Stupet simul cruento  
Imbuta terra fluxu:  
Tantumque non recusso  
Sinu intimo tremiscit.

Hoc aptius videre  
Horis statis licebit:  
Solator ex Olympo  
Iam deuolat minister.

Iam sat datum pauori, &  
Sudoribus cruentis:  
Hostile venit agmen,  
Et proditor propinquat.

Præt necis dolosus  
Herilis architectus,  
Qui basij ligando  
Det tesseram magistro.

Vox, Dia vis I E s v.  
In terga ter repulso,  
Cum proditore cæco,  
Sternit solo nocentes.

Nec proditor pudendo  
Sapit, Phalánxe lapsu:  
Surgunt, riunitque lapsu  
Pari, pares furore.

In bella Petrus ardens

## L I B . S E C V N D V . S .

Doctoris vltor audet:  
A cinacéinque nudum  
Per arma densa vibrat.

Non improbo recisa,  
Ac restituta Malcho  
Auris, repressit ausus  
Nefariæ cohortis.

Nescit modum furoris  
Gens mancipata sæuo,  
Qui disjicit subactos  
Nefas per omne, Diti.

Frequentibus lucernis,  
Funalibusque noctem  
Vicere, nocte vieti  
Quam cordibus premebant.

Facto Deum professus,  
Pactus suis salutem,  
Stuppis manus retortis,  
Et colla Christus indit.

Et inde sponte raptus,  
Collum, manusque vincitus,  
Qui vinculis rebellem  
Stygis premit tyrannum.

Non furua nox quietem,  
Non cura, liuor, Annæ,  
Non corde nex recocta  
Concedit innocentis.

Iam clarissim strepentes  
Vias per vrbis audit:  
Iamque atrium, proterue  
Pulsantibus recludit.

Capti manus reuinctas,  
Et ora contuetur,  
Necisque parricida  
Spem deuorat propinquæ.

Non fert moras, ad ædes  
Antistitis socer mox

Com-

## H Y M N O R V M

Compressiore neruo  
Amandat illigatum.  
Nunc, iste nundinator  
Innoxij cruxis,  
Vti prius tiaræ,  
Votis suis potitur.  
Habet domi coactos  
Antistites sacrorum,  
Pjissimo necem qui  
Procudere allaborent.  
Quæsitor hic dolosus  
Caiapha, dignitatem  
Insonte in opprimendo  
Primariam tuetur.  
Idem irritus nefandum  
In morte destinanda  
Reo, labor, senatum  
Falsos habetque testes.  
Extrema præsul vrget:  
Testans Rei parentem  
Deum, Rei modesto  
Extorquet ore verum.  
Hæc bella nempe caussa  
Sit mortis interrogandæ,  
Deum Deo Parentem  
Verissimè fatenti.  
Qui, Iudicis supremi  
Feret ista turba vocem,  
Quæ cum cohorte tota  
Stravit prius tribunum?  
Ne mortis ipse fructus  
Spontaneæ recidat,  
Potentiaæ recondit  
Satus Deo vigore.  
Ardent pari furore  
Cuncti, ruunt in Agnum  
Et corde, & ore mitem,

## L I B . S E C V N D V S .

Pardi, lupi, leones.  
Heu, Christus angelorum,  
Immò Patris voluptas,  
Exponitur petulcæ  
Libidini nocentum.  
Pugni sacrî genîs mox  
Hæsere, purulentum  
Et phlegma : purpurantes  
Feedantur vngue malæ.  
Quin verticis veiendi  
Crines volant per auras:  
Squalet simul bifurcæ  
Reuulsa silua barbæ.  
Qui ferre nunc nequibant  
Vultus iubar pudicum,  
Vix perferunt nigrante  
Nunc ora foeda tabo.  
Nullus pudor sacratos  
Velare nempe vultus,  
Fulgore qui liquentes  
Cœli plagasserenent.  
Crudecit impiorum  
Certamen : hinc minister,  
Hinc miles ora cœdit  
Turpi obligata velo.  
Euicta nox abibit,  
Lassescet hic, & ille,  
Rei leuis priusquam  
Erumpat ore questus.  
At horridos per ictus,  
Nec ictibus minores  
Sannas, dolet negantem  
Bis peierare Petrum.  
Aspectat, efficacia  
Medetur huic ocello  
Seruator, & sodali  
Cordis ferit latebras.

Pardi,

Virget

Vrget semel, secundò

Prædictus oscen ales

Reprensor : abnegatum

Abit ille flens magistrum.

Crudelis actus hic est;

Vel hoste teste, primus:

Nam manè vix retecto

Crudelior sequetur.

*Altus 2.* Qui iudices habet bis

Antistites sacrorum,

Bis iudices profanos

Exinde sortietur.

Vtrumque mitiorem,

Minusque certè iniquum,

Quamuis Tetrarcha risum

Ad Præsulē remittat.

Gens sacra non Iudæ

In noxiū fatentis,

Admissa abominantis,

Infleūtitur querela.

Ter proditor, quatérque

Fœlix erat futurus,

Si sponte præbuisset

Se supplicem magistro.

Faicti piget : Relictos

Quur non adit sodales :

Petrūmne lacrymantem

Mox insequi veretur :

Nec irrito labore

Prensaret aduocatam

Prostantis ære paruo

Piam Dei Parentem.

Duplo magis sceletus

Cœptum nefas adauget:

Fit carnifex sibi pfi

Qui perdidit magistrum.

Adegit huc Iudam.

Idem auctor, ad necem qui

Perpellit innocentis

Ædis sacræ ministros.

Clamore dissonanti

Confunditur theatrum:

Seruare Prætes, actor

Leto truci dari vult.

Prætoris vxor atræ

Diuerberata noctis

Insomnio, profundi

Iesu vetat cruentem.

Vxore vix monente

Constat sibi maritus:

Iudex sapitne, Christum

Qui conferat Barabbæ:

Gradu stetisse primo

Oportuit Latinum:

Qui iure demoueri

Occuperit, ruet mox.

Heu iudicem pudendum,

Qui victus efferatis

Clamoribus, flagellis

Discindit innocentem.

Qui libero reatus

Spargi finit cruentem,

Post non tremiscet atræ

Adiudicare morti.

Intrò videt receptum

Cohors: flagella stridunt,

Et taureæ furentum

Rotatiles lacertis.

Rursum genæ tumescunt

Cæsæ volante pugno;

Castiique spura vultus

Adobruunt honorem.

Contusus ora, dorsum

Pectus lacerque, dumis

H

Horrent

Idem

H Y M N O R V M  
Horrente vtrunque tempus  
Pertunditur corona.  
Hinc verticis cruentus  
Inundat ora riuus :  
Madens cruento corpus  
Nouum imbibit fluentum.  
Addit furor lacernæ  
Cocci ebriæ veneno  
Ludibrium : palustris  
Arundo sceptra supplet.  
Risu Reum, quibusque  
Acerbiore pœnis,  
Velit enecasse regem  
Accurua multitudo.  
Non diritas dolorum  
Exasperata ludis.  
Vilos Dei modesto.  
Extundit ore questus.  
Euita nil quod addat  
Ars in penit, sacramentum  
Ni verticem recussa  
Canna subinde tundat.  
Ritus saturque lictor,  
Penæ saturque Prætor;  
Iesus foris popello  
Spectandus exhibetur.  
Præconis hic Latinus  
Vicem occupauit : Ecce  
Vobis homo misellus :  
Rex dictus, ecce vobis.  
Vix saua turba visum,  
Vix agnatum sacerdos  
Clamore beluino  
Rapi ad necem reposcit.  
Regem negare turba,  
Et Cæsaris sacerdos,  
Reo super soluto,

L I B . S E C V N D V S :  
Iram grauem minari.  
Ergo metu tyranni  
Ius, & pium exulabit :  
Dedet neci Latinus,  
Se teste nil merenrem.  
Fontes abire mandet  
Manus in abluendas :  
Haud eluisse culpam  
Toto mari potis sit.  
Crudelius sacerdos  
Cum plebe concitata  
Iusti sibi imprecatur  
Et posteris cruentum.  
At Christus his utrisque  
Clementer, aptè & usus,  
Toto cruoris amne  
Noxam piat suorum.  
Actu reum supremo  
Væsana turba raptum  
Infame montis alti  
Protrudit in cacumen.  
Ni vestis assueta  
Christum tegat, per urbem  
Notissimum, per urbem  
Quisque obuius negarit.  
Nex tardior futura,  
Iterque iudicatur,  
Ni forte rusticanus  
Gestet crucem viator.  
Sic commode reflexus  
In terga, ciuitatis  
Homicidio madantis  
Fatum canit propinquum.  
Vix labore fessum  
Montis iugo statutum  
Sit recreare myrræ,  
Sit potionē fellis ?

Actus 3.

## H Y M N O R V M

Idem furor sub ipsa  
Dehinc fata perseuerat:  
Hæc pensili propinat  
Immanitas acetum.  
Nil hic moræ, trabe alta,  
Medium tenente Phœbo  
Cælum, eminet duorum  
Medius Deus latronum.

Quur? Sontibus mederi  
Suetus per omne tempus,  
Haud fontium Redemptor  
Consortium refugit.

Quur longa crux? Olympo  
It. Lata quur? per orbem  
Diffunditur: Profunda?  
Orct fores refringit.

Quur lignea est? opaco  
Hoc symbolo notatur  
Arbos, origo noxæ:  
Auctor salutis arbos.

Fœcunda cauta truncæ  
Est lignæ: Nocentis  
Fœdata fruge ligni,  
Ligno piata tellus.

Superstitem Noachum  
Orbis noui satorem  
In lignæ latentem  
Non diffiteris arca.

Quid non inusitatum  
Patrare vidit olim  
Ducem stupens Hæbræum  
Mago superba Memphis?

Lignum efficax, marinus  
Gurges fugit: salubres  
Securus alter amnis  
Ligno bibit sapores.

Ictu silex Horæbit

Non

## L I B. S E C V N D V S.

Non contumax secundo,  
Instante Mose, fudit  
Quas nesciebat vndas.  
Nunc plenius leuantur  
Hæc ligna contuentes,  
Quotcumque dirus anguis  
Lingua ferit trisulca.

Fœdo perire Christum  
Par est loco: pianda est  
Adæ vetustioris  
Fœdata labæ tellus.

Rursumque visus extra  
Perire Christus urbem,  
Per purgat viuversum  
Mundi nouator orbem.

Testatur hoc precatus  
Et penduli, supremo  
A Patre flagitantis  
Peccantibus salutem.

In hunc & ipse finem  
Tellure subleuatur:  
Fixus cruci Deus, qui  
Fixos solo reuellat.

Nulli Deum professio  
Ignotus omnium Rex:  
Græcilegant, Hebræi,  
Romæ legat colonus.

Nec vsquequaq; sparsos  
Latebit hic Hebræos:  
Epulum vetus, nouumque  
Paschale namque præsto est.

Sors milites amictu  
Christi remuneratur:  
Auctor necis probandæ  
Testis necis sedebit.

Prudentius cauebit  
Rerum Parens, vt idem

H. 3

Sit

## H Y M N O R V M

Sit mortis, atque vitæ  
Tentatus ære testis.  
Heus, heus adeste mecum:  
Hic posteris Adami,  
Post sæcla longa, nudum  
Licet videre Regem.  
Prospectat ex olymbo  
Natum Parens supremus:  
Hæc nuditas, Adami est  
Sartura nuditatem.  
Agnosce, Roma nudum;  
Verum verere Regem:  
Vestes tibi cruentas  
Donare non grauatur.  
Iudæ, si nequibus  
Plagas notare nudi,  
Facillimè ossa tensi  
Ad calculum vocabis.  
Quemnam modum furori  
Pones, proterue miles?  
Pones, procax viator?  
Procacior sacerdos?  
Hic cæteris mederi,  
Te teste, consuëtus,  
Seruare nempe non vult,  
Causa tui, seipsum.  
Quod perfodis trabali  
Clavo tuipse fanum,  
Ineunte luce terna  
Rediuuuus excitabit.  
Humo peris reuolui,  
Propago cæca, Regen:  
Rex victor hic per auras  
Ponet crucis trôphæum.  
Non te pudet, tot annis  
Dauidis ad sonoros  
Obsurduisse cantus?

## L I B . S E C V N D V S.

Ligni ille regna vidit.  
Doctore si propheta  
Nil profici; vel isto  
Oportuit doceri  
Latrone te magistro.  
Alter Deo latronum  
Conuicator audax  
Obtrestat, alter illi  
Hæret cruci patronus.  
Audit patrocinantem,  
Auditque supplicantem.  
Asciscit in triumphi  
Partem Deus patronum.  
At nunc vbi viarum,  
Christi Dei sodales?  
Quò degener locorum  
Abdit timor fugaces?  
Amicus hic amico,  
Et conscius magistro  
Adest, & astat vnuis,  
Viragineisque paucæ.  
Hic, particeps doloris,  
Et hausta ab ore Nati  
Parens, & hausta libris  
Oracula mente voluit.  
Non vnguis indecoro  
Peplum, genas, capillum:  
Temerare visus austu,  
Moestæ licet, Parenti.  
Ut squalet ora Natus,  
Afflexus, ecce blando  
Delenit ore matri  
Cor faucium dolore.  
En virginis magistri:  
Virgo comes, pudicæ,  
Dulci iubente Nato,  
Adiungitur parenti.

Ioannes  
Christo.

## H Y M N O R V M

Vides, homo, tenebris  
Polum repente cingi?  
Claraque luce noctem  
Fedè incubare terris?  
Si quis rogarit, orbem  
Cur occupent tenebrae?  
Lux increata obibit:  
Lux hinc creata abiuit.  
Tres integras opaca  
Caligo durat horas:  
Auctoris vniuersus  
Sic fata luget orbis.  
Per tempus hoc, nocentum  
Silet furor, perennes  
Vel offici tenebrae  
Hoc præstite Christo.  
Heu, heu dolor, nigrantes  
Clamat Deus per umbras,  
Clamausque lacrymarum  
Vim maximam profundit.  
Cito petit volatu  
Expressa vox olympum:  
Nati Pater gementis  
Exaudiit querelas.  
Perstant sibi relicto  
Gtauissimi dolores;  
Nec hauriunt cupidam  
Defessa membra mortem.  
Afferre pena Christo  
Penis adaucta mortem  
Nescit, nisi volenti:  
Valens, volens obibit.  
Vera ille carne septus  
Verissimos dolores  
Testatur: hos per æstus  
Bibit libens acetum.  
Vult vnde cunq; Christus

## L I B . S E C V N D V S.

Expleta dicta vatum:  
Vult omnium peractam,  
Sitim domans, salutem.  
Haustum satis dolorum,  
Haustum satisque pena  
Christo videtur, & nunc  
Vult oppetisse mortem.  
Audi mori volentis,  
Iudæe surde, vocem:  
Namque in manus paternas  
Deponit ultro vitam.  
Lux indicat retecta  
Vitæ exitum: Videsne  
Ut mortis in sompnum  
Ultro caput reclinet?  
Si mortuum negaris,  
Aut ambigas, adacto  
Mors certa comprobata est  
In viscera ima ferro.  
Degustat ultro mortem,  
Quamuis amara mors sit:  
Negotio minore  
Possis inire somnum?  
Negotio minore  
Veste exui potis sis?  
Quæ dia carnem agebat,  
Carne est soluta virtus.  
Non sanna, pena, non crux  
Animum expulit per auras,  
Quem credit benigno,  
Satus Deo, parenti.  
Quem credit parenti,  
Post triduum reposcit:  
Mireris arbitrumque  
Vitæ, arbitrumque mortis.  
Agnosce, cæce, saltem  
Nunc, quem neci dedisti;

Cur nox tibi fugatis  
Cor obruit tenebris?  
Fatere cum sagato  
Vel Romuli nepote,  
Vel cum gemente turba,  
Deum, Deique Natum.  
Audisne saxa, totas  
Et diffilire cautes?  
Sentis graues pauentis  
Terræ intimos tumultus?

Sinu suo recondi  
Mox sentiet choragum  
Vitæ: proinde luci  
Reddit sinu repostos.

Quem desinunt puelli:  
Ad astra ferre Hebræi,  
Iam nunc inassueto  
Honore saxa tollunt.  
Terræ sinu recusso,  
Iudæa non mouetur:  
Nec morte rupta cautes  
Hebræa corda mollit.

En cælitum sacratam

Tutela linquit ædem:  
En vela sancta findit  
Vindex Dei minister.

Muris honos Hebræis

Fugit, decusque totum:

Ad horridam profani

Vocantur vltionem.

Nunc interim sepulcrum

Ad mortui Latinus

Satelles, isque custos

Fidelis, excubabit.

Sæuissimo necem qui-

Infixit apparatu,

Testis resuscitati.

*Vide Io-  
sephum.*

Non falsus emicabit.

Nos hoste teste, Christum  
Hostis manu peremptum,  
Vixisse mane vitam  
Sub tertium canemus.

Nam spe fidéque nixis  
Te mortuo, sepulto,  
Lucique restituto  
Fas, Christe, gloriari.

I N S A N G V I N E M V N A C V M  
aqua dimissum è latere Christi,  
hoc est,

*De expiatione peccatoris.*

H Oc mires latus, has audes tentare latebras  
Pectoris? At summi Numinis auspicio,  
Fons aqueus, fons sanguineus fluit vbere riuo.  
Cernite in exanimi corpore prodigium.  
Quale nihil Moses virgæ ictibus excit olim,  
Excussis populos vt satiaret aquis.  
Humanis, miseri, squalletis sordibus? hic fons,  
Cuius inexhausto flumine noxa fugit.  
In dubio est Genitoris amor, Nativæ, repulsos  
Erga vos homines? sanguine fluxit amor.  
Discite, cor vestrum mala quæ contagia lœdant:  
Otia, opes, luxus, vina, comæisque Venus.  
Huc odium fratris, lites, huc addite cædes;

Addite proclives in mala quæque animos.  
Quicquid id est, liquidis huc fœda immergite riuis  
Pectora, quæ puro gurgite pura abeant.  
Prima fides opus aggreditur, Spes iuncta sororem  
Format: opus plenum feruidus vrget Amor.  
Tres simul impellit succenturiata sorores  
Dia Charis; flatus confouet almus aquas.

*Fides.*  
*Spes.*  
*Charitas.*  
*Gratia.*  
*Dei.*

*Spiritus sanctus.* Fœlix, cui sacer hic, colluto pede labore, Patris  
Offeret ætherei regna fruenda latex.

## H Y M N V S 3.

*In Crucem salutiferam.*

Primigenum Stygius genitorem viderat olim  
Honore florentem draco.  
Agrediens, hominem donis spoliauit opimis,  
Demisit infandæ & neci.  
Hinc statuit regnum, multaque tyrannide fouit  
Malos, pios exercuit.  
Offundit tenebras, immiscet fasque piumque,  
Mundumque princeps occupat.  
Turgidus, imperiis dilatat regna superbis,  
Longis ferocit sæculis.  
Donec in extremam solus secedit eremum  
Homo Deus, satus Deo.  
Sacra quater denas agitat ieunia luces,  
Tenore noctes & pari.  
Esurit: accedit Tentator, duraque saxa  
Mutanda profert panibus.  
Spernitur: assuntum deponit culmine templi,  
Spondet ministros angelos  
Casuro: Elusus dum nec sic proficit, altum  
Festinus in montem rapit.  
Pollicitus vasti latissima prænia mundi  
Dios honores exigit.  
Abscedit victus victor, iam victus ab uno,  
Vincendus & mox plurimis.  
Prima quidem primum capit hic victoria signum,  
Perfecta constat in cruce.  
Crux victorifero madefacta est prima cruore:  
Crux prima corpus extulit  
Spectandum populis, populorum crimine onustum:  
Crux Christianorum salus.

Crux

Crux requies fessis, lux est clarissima cæcis,  
Dux est viæ palantibus.  
Crux trepidos fulcit, vitiorum milia sanat:  
Crux vita certa mortuis.  
Crux inopes ditat, Crux dites compede frænat,  
Crux fastuosos deiicit.  
Crux hilarat tristes, & firmat gaudia lætis,  
Secura spes Crux perditis.  
Crux est indoëtis, Crux est sapientia doctis,  
Mutis & eloquentia est.  
Crux fons arenti, Crux est cibus esuriensi,  
Vmbraculum æstuantibus.  
Crux ægro antidotus, Crux est purgatio lepræ,  
Et nuditati operculum.  
Vnica Crux spes est miserorum, gloria regum,  
Crux robur imbecillum.  
Crux terror Satanæ, Crux est victoria victo,  
Crux Christiani gloria est.

## H Y M N V S 4.

*Paraneticus est.*

Q Visquis primigena parente natus,  
Christo nomina, lustrico dedisti  
Lotus gurgite, sub Crucis præaltæ  
Truncu, ne male, stulte, delicatam  
Viuenti tibi pollicere vitam,  
Quæ multis, varijsque misceatur,  
Vultu nunc veluti fereniore  
Ludens, nunc tetricis acerba rugis:  
Æqua mente ferenda & hæc, & illa:  
Quin, si sub Cruce gloriaris, audi:  
Imperterritus esto, rebus arctis,  
Nec confide nimis catus secundis,  
Forti pectore gaudeasque semper:  
Summissusque animo labor a, & ora,

I 3

Altam

Altam pectoris & tuere pacem.  
 Quidquid mente agitas, & ore faris  
 Aut effers vigil exteros in actus,  
 Cernens omnia Numen intuetur:  
 Huic & te, & tua comprobet, memento,  
 Tuta nil metuens leuis sub umbra.

## H Y M N V S . 5.

*In Christum de Cruce pendentem.*

**Q** Vale spectaculum? miseranda sed quæ  
 Vox inassuetas reboat per umbras?  
 Men', Deus, men' sic ope destitutum  
 Usque relinquis?  
 Proh nefas. An non ea vox Iesu  
 Mortuos nuper reuocantis orco?  
 Corpori inclusas Erebiue pestes  
 Orbe fugantis?  
 Nonne vox illa est, Solomonis ædem  
 Personans? vallēsue cauas, supini  
 Seu iugum montis, memorans perennis  
 Gaudia regni?  
 Ecce, palantes minuuntur umbræ:  
 Nobilis iam conspicuus character  
 Elogi, summa cruce Nazarenum  
 Prodit Iesum.  
 O vices, indignaque sors: virorum  
 Ille vir pulcherrimus, ille nuper  
 Rexque cantatus pueris, Deusque,  
 De cruce pendet?  
 Sic duūm pendet medius latronum.  
 Rex, caput spinis redimitus aspris?  
 Purior qui sidere, qui recocto  
 Purior auro est.  
 Tabidum fœda illuuius videre est

## L I B . S E C V N D V S .

Turpe: quod nec sol queat obtueri,  
 Quod nefas tellus tolerate tota  
 Mole laborat.  
 Cui viro de te licuisse tantum  
 Christe, credamus? Genitor nisi te  
 Dedat huic leto, nisi sponte letum  
 Suscipis istud:  
 Septies ergo loqueris trabe alta  
 Pendulus, culpæ veniam precaris  
 Hostibus, præstent quod & in futura  
 Sæcla nepotes.  
 Vrget edictum Genitoris, vrget  
 Spiritus sancto stimulante, amica  
 Vis in humanum genus ista amoris  
 Imperiosi.  
 Fauce te sicca scio conquerentem;  
 Regna latroni audio pollicentem:  
 Audio matri benè mitigantem  
 Voce dolores,  
 Virginis necnon socio dolorum  
 Virgini. Sed quid quereris, relictum?  
 Te Patri, qui delicias suas te  
 Ante vocavit?  
 Nempe, ne cuiquam trabea caduci  
 Corporis facta videare cinctus,  
 Imbibis summos vel in hęc propinqua  
 Fata dolores.  
 Quamlibet Patri deitate consors,  
 Imperi partem retinens & æquam;  
 A tua accersis Deitate, nulla ex  
 Parte, leuamen.  
 Sedulus nil imminuisse dictis  
 Omnium, queis tu scopus ipse, vatum,  
 Cuncta proclamas; tibi præco, & illis  
 Esse peracta.  
 Hinc & extremos properans ad actus  
 Arbiter vita, Dominusque mortis,

In manus,

In manus, ceu depositum, paternas  
Munera vitæ,  
Et potens quam mox animam resumas,  
Tradis, afflexo, velut in suëtum,  
Vt cui tu iuris eras, soporem,  
Vertice sacro.  
Mystico Samsone ea digna finis,  
Regna qui ditis manibus refringens,  
Ceu palestinos proprijs ruinis  
Obruit hostes.

## H Y M N V S 6.

*In Sepulcrum Dominicum.*

**P**Ost sputa, & colaphos, redimita & tempora dumis,  
Post Crucis, horrendæ suppliciumque necis:  
**C**hriste, iaces gelido protensus membra sepulcro,  
Nec superest vitæ, qui fuit ante, calor.  
Siccine mortuus es, mortis qui iura resoluis?  
Siccine sit tecum nostra sepulta salus?  
**N**ostra sepulta salus tecum, spes nostra sepulta est,  
Si caua te cassum lumine tymba tenet.  
Sed stas polliciris, victurus tertia quum lux  
Proferet optatum, sole micante, diem.  
**O**mnia veridico, quæ fatis, perfidis ore:  
Nec per inane ferent irrita verba noti.  
**S**amson. **Q**uid ni? Manoides cœlesti Numine fortis  
Si facit incolumi tantæ capillitio?  
**V**rbe capi occlusa est visus, sed manè refractas  
Culmina sustollit montis ad alta fores.  
**S**tuppea præualidis bis rumpit lora lacertis,  
Fœlix, fœmineos si cauet usque dolos.  
**S**ponte subit tandem data vincula, lumine utroque  
Præcisa capitur luxuriante coma.  
**F**ert ignominiam: sed adauicto crine, seipsum,  
Hostiles cuneos dum necat, ipse necat.

Christe,

**C**hriste, typo tali te prælufisse tenemus,  
Qui mundi, & mortis fregeris imperia.  
Gesta quidem hæc viuo scimus tibi, sed mage opimam  
Tu prædam leto stratus ab hoste rapis.  
Tu quoque, tu præco Metanoeæ, maior Iöna,  
Nosceris humanum lapsus adusque genus.  
Faucibus omniuoris te Mors licet hauserit atra,  
Ceti in istar proprio te vomet illa die.  
Interea, queis nos moneas, duo carmina habebis,  
Quæ tuus ostendat, dæque legenda lapis.  
Qui iaceo, regno: Iacet Orci excusa tyrrannis:  
Viuite nunc: mors est mortua morte mea.

## H Y M N V S 7.

*IN IMAGINEM CHRISTI DE.**Cruce pendens: Ad Christianum  
spectatorem.*

**Q**vicunque solis aureo  
Gestis fruisci lumine,  
Idemque gaudes frugibus  
Telluris almæ vescier,  
Natus labori, tædio  
Mortisque certæ obnoxius;  
Et perpeti vitæ mala,  
Mortemque disce fortiter.  
Hoc namque perquam commode  
Præstes, Iesum si tua  
Caussa, scias exercitum  
Communibus vitæ malis,  
Et morte probrofissima  
Finisse postremum diem.  
Post ergo flagra, post crucem,  
Molestiasque, totius  
Vitæ exitum Christi tui  
Ab orbe crudelissimum:

K

Qua

*Meta-  
nœa.*

Qua fronte acerba quælibet,  
 (Quæ vita fert mortalium)  
 Mortemque vitæ debitam  
 Pati grauere homuncio?  
 Quum morticida, præuius,  
 Mortis triumpho nobilis,  
 Orci inuidente regia,  
 Mortis solutum legibus  
 Vitam ad perennem te vocet.

## H Y M N V S 8.

*In Iesu Christi Resurrectionem.*

**A**V rora pñne victrix  
 Cum nocte dimicabat,  
 Quum lucis auctor arcto  
 Erupit è sepulcro.  
 Non nox erat, diësue,  
 Quum mortis ille victor,  
 De Dite, déque Mundo  
 Aggressus est triumphum.  
 It destituta prædis,  
 It destituta telis,  
 Timenda dente nullo  
*Mors.* Post terga Principis, *Mors.*  
 It captus innocentum  
 Captator, it reuinctus  
 Non simplici catena  
 Nigri Tyrannus orci.

O fronte quam serena,  
 O quanto honore vultus,  
 Effulget vndiquaque  
 Æternus Imperator!  
 Natura, ceu renascens,  
 Arrisit vniuersi:  
 Nouaque suscitato

Repubuit iuuentua.  
 Sereniore cælo,  
 Aues inane cantu  
 Mulcent, salubriores  
 Aggratulantur auræ.  
 Proinde, lœta fotu  
 Benigniore Tellus,  
 Opes heri potentis  
 Effundit in triumphos.

Erat videre nuper  
 Pectus, sinuſque totos,  
 Et terga tota ſcissum  
 Atrocibus flagellis.  
 Erat videre fixum  
 Pedes, vtramque palmarum,  
 Instar latronis, inter  
 Nefarios latrones.

At nunc iuuat tueri  
 In corporis beati  
 Ameniore forma  
 Diuinitus micantem.

Et nunc iuuat tueri  
 Tellure subleuatum,  
 Tardante mole nulla,  
 Cœli plagas secantem.

Præfensit euolantem  
 Busto, manus latina,  
 Vrbique ſuſcitatum  
 Citata nuntiauit.

Rei fidem timetur  
 Factura ciuitati:  
 Pecunia sacerdos  
 Silentium redemit.

Largitionis hocce  
 Tectum nefas, per urbem  
 Demandat accinendum  
 Famæ Deus loquaci.

## H Y M N O R V M

Os militi sacerdos,  
Ne vera proloquatur,  
Auto obstruit; Deus mox  
Os fœminis resolut.

Felix amica busto  
Hærens diu sepulti :  
Nam prima flens Amici  
Conspectibus fruetur.

Addit sibi virago  
Comites viæ , quibuscum  
Iesu pedes tenaci  
Circumliget lacerto.

Hæc prima fœminarum  
(Quod præmium est amanti)  
Christum Deum, subacta  
A morte, contuetur.

Tantum refert honoris  
Inter viros, Iesu  
Flagrans amore Petrus,  
Primas ferens amoris.

Quo quisque Magdalenen,  
Quo quisque amore, Cepham  
Propius refert, Iesum  
Post ocius videbit.

Iesu super propheta  
Permulta conquerenteis,  
Eo die viator  
Iesus it affecutus.

Verbo comes salubri  
Viæ leuat labores,  
Instante dum Cleopha  
Emmæns, Diuertat Emmauntem.

Neutri Deus duorum  
Innotuit, sacrati  
Dùm fracta dona farris  
Vtrique partiatur.

Decem latent in vrbe

## L I B . S E C V N D V S .

Metu abditi sodales :  
His copiam sui-ne  
Mœrentibus negarit?

Scimus fragore nullo  
Valuæ , repagulorum  
Dispensiisque nullis,  
Medium astitisse turbæ.

Et nota vox Iesum,  
Et forma visa prodit,  
Optata consuëtis  
Et pax, salusque verbis.

Hærent, stupent, vacillant,  
Ludibriumque spectri,  
Phantasma suspicantes,  
Sub vesperam verentur.

Confirmat hæsitantes  
Lateris, pedum, manusque,  
Sub ora contuentum,  
Signans cutem, cicatrix.

Quin piscis e sus assi  
Hoc perficit, fauique  
Consumta pars, notante  
Decem virum corona.

Thomas abest, diebus  
Non crediturus octo,  
Cognosse quod sodales  
Constanter asseuerent.

Et Christus huic medetur,  
Et posteris per illum,  
Manus, pedes secundò  
Nudans, latusque fossum.

Septem, vrbe derelicta,  
Piscatui vacantes,  
Ad prandium reductos  
Accer sit è phaselio.

Nautas suos, inani  
Noctis labore fessos

## H Y M N O R V M

Solatur indicata  
Rubente mane præda.  
Hæc perspicax Ioannes  
Accepta fert Iesu,  
In sorte pifculenta  
Vim sentiens herilem.  
Conuiuum recuruo  
In littore instruentem  
Spectant humo propinqui :  
Norunt humo recepti.  
Inter silent edendum:  
Piget rogare, quis fit,  
Quem pristina magistrum  
Forma agnatum verentur.  
Os aureum obtuentur,  
Manusque frusta panis  
Sedentium coronæ  
De more diuidentis.  
Datum sat est amori  
Sodalium : fides sat  
Est euidente signo  
Astræta suscitati.  
Tum maximè sodales  
Credent polum petenti:  
Tum maximè triumphum  
Et nos Deo canemus.

## H Y M N V S . 9.

*In Christi Iesu Ascensionem.*

D Enis quater diebus  
Seruator euolutis  
Reposcitur supremo,  
Homo Deus , Parenti.  
Supra alta templa veclum,  
In carne carnis exsors  
Mens quæque contueri,

## L I B . S E C V N D V S .

Patre annuente , gestit.  
Vesci subinde visus  
Sodium coactis,  
Satis superque turbis  
Anaftasim probauit.  
Promissa restat aura  
Quæ fulciat labantes,  
Solatijsque corda  
Marentium vaporet.  
Haud illa fluctuantes  
Allapsa roborabit ,  
Cæli nisi , solique  
Rex inferatur astris.  
Dei sinu receptus  
Effundet æquus illam  
Promissor in sodales,  
Nutu pari Parentis.  
It ductor aggregatos  
Ducens ab vrbe testes  
Et mortis , & resumtæ,  
Post fara dura, vitæ.  
His testibus, decebat  
viam parare cælo,  
Hæsisse qui folerent  
Terræ prius colono.  
Dux agminis sacrati  
Aruum terit Bethanes,  
Pedemque montis : huic dat  
Frequens oliua nomen.  
Nec Lazari sorores  
Tunc abfuisse credam',  
Nec nuper excitatum,  
Christo vocante, fratrem.  
Stat monte consecrato  
Multæ precationis  
Vsu ; iugis profatur  
Nuper cruento tintis.

*Spiritus  
sanctus  
promissus.*

*Bethania.*

*Mons olli-  
neti.*

*Lazarus  
Martha  
frater, &  
Magda-  
lena.*

Hinc

Patre

## H Y M N O R V M

Hinc emigrare regni  
Ad gloriam paterni  
Decernit: vnde raptus  
Sit ad necem pudendam.  
Amica turba pendet  
Ab ore proloquentis.  
Nec se capit, disertæ  
Mirata dona linguae.  
Postrema sempiternæ  
Optata pacis audit,  
Et melle delibuti  
Mandata amoris haurit.  
Hæret, filet, stupescit,  
Mox nubibus tegendi,  
Nec amplius videndi  
Perstricta honore vultus.  
En arduus relicta  
Tellure subleuat:  
En arduus liquentes  
Viam secat per auras.  
Quæ pompa? quæ volantis  
Tergum premit caterua?  
Quanam domo profecti?  
Quonam loci feruntur?  
Afferta gens ab umbris  
Orci, Ducas crux,  
Comes Ducas beatas  
Cœli reuicit oras.  
Pars prima dux superbi,  
Pars maxima triumphi  
Nube induit decoros,  
Vincens inane, vultus.  
Immò repente totum  
Cauo obtegens amictu  
Ultræ aspici negavit  
Circumuoluta nubes.  
Dicto ociosus Paterni

Aurata

## L I B . S E C V N D V S.

Aurata tecta regni,  
Dei Parentis hæres,  
Homo Deus capellit.

Hic cælites beati,  
Nouam hospitis figuram,  
Nouum stupent decorem,  
Nouos stupent honores.

Miratur ad sedile  
Parentis usque ferri  
Digestus in nouenas  
Exercitus cateruas.

Res mira, cœlitum Rex  
Ipse obuijs & vlnis  
Complexus vltræ natum  
Dextræ assidere iussit.

Natus sedet pari pat  
Patri, potens potenti,  
Bonus bono, peræquè  
Æternus æuiterno.

Plausum reciprocantem  
Palatia alta reddunt,  
Christique mille laudes,  
Epinicios & hymnos.

Et nos licet cœdum  
Genus, propago terræ  
Cessemus æmulari  
Cœlestium chores?

Saluere te iubemus,  
Te, Christe, morticidam;  
Versus tibi, tibi odas,  
Fusi solo dicamus.

Cœli arce te locamus  
Capi loco impotentem;  
Votisque te vocamus  
Fauere pollicentem.

Agnosce, rex, profuso  
Cruore quos piaisti:

*Nouem  
ordines  
Angelo-  
rum.*

L

Attolle

## 82 H Y M N O R V M

Attolle ponderosa  
Quos mole noxa curuat.  
Os tu, caputque nostra,  
Decus, caputque nostrum:  
Ne vertici supremo,  
Amittito reuulsos.

Comissa parce fassis:  
Sis mitior, priusquam  
Te Iudicem seuerum  
Postrema lux tremiscat.  
Sis dexter, obsecramus,  
Huic supplici coronæ,  
Ut carmen hoc, Iesu,  
Tibi integret per ævum!

## H Y M N V S 10.

*In Sanctam Pentecosten.*

**A** Beste, cura vilis,  
Et sordidus cupidio;  
Spurci, vagi, dolosi  
Abeste cogitatus.

Adeste, liberales  
Metus, adeste, puræ  
Submissio, modestæ  
Serenitasque mentis.

Nato Patrique confors,  
Cælestis Aura, magno  
Emittitur Parenti,  
Emittiturque Nato.

Emissus huic, & illi  
Terræ futurus hospes  
Fugit Deus superbos,  
Amat Dei timentes.

Deum Dei datorem  
Rogare cur pigebit?

Instate,

## L I B . S E C V N D V S .

Instate, non fideles  
Rogasse pœnitentia.

Quid, quod sui profusa  
Vaga Aura, corda, mentes  
Terræ sinus perterrans  
Orbem replere gaudet?

Hæc nempè, lassa nunquam  
Fluentibus tot annis,  
Opus suum perurget  
Ab orbe constituto.

Hoc se halitu foueri  
Persensit vnda ponti,  
Mirata monstruosos  
Salo natare fœtus.

Eadem stupet profundi  
Mox exilire stagnis  
Audax genus volucrum  
Æthræ occupare regna.

Fotu pari comantes  
Enixa terra sylvas  
Fecunda bestiarum  
Proseminauit agmen.

Tunc terra proferebat  
Caput madens ab vndis,  
Debens aquis libenter,  
Et debitura fœtus.

Infantia ista mundi est.  
Instante nam senecta,  
Auctu benigniore est  
Nouata vis aquarum.

Iordanis in fluento  
Iesu lauante, Patris  
Altissimi per vndas  
Vox cœlitus resultat.

Nec Aura dia defit,  
Quæ vertici sacrato  
Candentis in columbae

L 2

Mox

## H Y M N O R V M

Mox insidet figura.

Cae putes piatam  
Christo, per vda , labem:  
Immergitur lauandis  
Ter purus ipse lymphis.

Incumbit Aura Christo

Tractus aquæ pianti:  
Vox Patris,vtriusque  
Sanctum probat lauacrum.

Par est, Deum nouandæ

Trinum præesse lymphæ,  
Ad cuius emicauit  
Olim creata nutum.

Nunc maximè, beato

Quum spiritu incubante  
Melius refota, celi  
Progerminet colonos.

Mirum proinde dictu,

Tinctis vt ambe sacro  
Affusa dulcis Aura  
Se miscuisse gaudet.

Quin, Spiritus reuixit,  
Medullitusque lustrat  
Quæ primitus sibipsi  
Substruxit ipse templa.

Ter, ô quatérque fœlix

Domus, licet fragore  
Tentetur irruentis  
Hac luce præstituta.

Deus,Deus, sodales,

Adest, fauete linguis.  
Vix hic Deum locus fert:  
Hæc vis amica celi.

Peculiaris hic mos  
Amoris inquieti,  
Dum cuncta raptet in se  
Vi, perdometque victor.

Io, io

## L I B . S E C V N D V S.

Io , io triumphhe,  
Gens nostra credit, & dat  
Manus Deo : beatæ  
Pæan canendus Auræ est.

O lux inassueta :  
O, ô iubar noui imbris;  
Dia Aura, dialinguis  
In igneis coruscat.

Ne quis sodalitatis  
Huius, Deum queratur  
Parcum, serit virutim  
Ignita dona linguæ.

It Spiritus per imas  
Exæstuans medullas:  
Iam mente, iam refusus  
Præcordijsque regnat.

Hac aufugit prioris  
Pulsus sopor veterni:  
Illac, abire iussus  
Pauor, leueisque curæ.

Hic quiisque desuescit  
Hominem, flagrans amoris  
Incendio, Deique  
Ardens sonare laudes.

Iudæa , mente captis  
Bacchi obijcit furorem,  
Ignara, quid quat sit,  
Auræ imperantis œstro.

Quantum repente Cephas  
Mutatus est ab illo,  
Ancillulam loquacem  
Sufferre qui nequivit ?

Iam præco, quem negauit  
Tellure demorantem  
Cognosse nuper, audax  
Præesse iactat astris.

Qui frondis ad strepentis

L 3

Sonum

Sonum leuem tremebat,  
Nunc fulminat per urbem  
Sæuus tonante Verbo.

Imbellis ille cætus  
Sodalium, fugaxque,  
Ardente fretus Aura  
Pugnam parem laceffit.

Cantet memor vetustas  
Arsisse Gedeonem  
In sacra bella raptum  
Madianico tumultu.

Pari impetu celebret  
Tropæa rapta Ieplita,  
Samsonis & comati  
Non simplices triumphos.

Nos affluentis Auræ  
Æstu nouo calentes,  
Tot hic duces creari,  
Quot hic viros canemus.

Cunctisimul profantis  
Pendent ab ore Petri,  
Specstante plebe, dictis  
Salubribus fauentes.

Iam bella, iam triumphos,  
Mente ignea, reuoluunt:

Hierusalem scili-  
cet, in qua Et partiuntur orbem.  
nunc qui- Primarius triumphat  
dem agut. In vrbe : cæterorum

Spargetur orbe virtus.  
Cinctus cuique flammis

Vibratur ore sermo:  
Dat terga Rector orci,  
Morbi fugam capeffunt.

Iber, Britannus, Indus  
Vocem stupet sonoram,

Et primus ultimusque  
Christo subactus orbis.

Nos pars sumus, relicta  
Victoriæ tropæum,  
Quidquid satelles Orci  
Insultet imminutis.

Nos ore, nos ab imi  
Recessibusque cordis,  
Hominem, Deumq; Christum,  
Dictante te, sonamus.

Nos spiritu nouati,  
Lustralibusque lymphis,  
Hereditatis altæ  
Seruamus arrhabonem.

Nos inscij, rudesque,  
Quid à Deo petendum,  
Te Spiritu magistro,  
Auemus edoceri.

Nos ergo, te docente,  
Mouente, comprecante,  
Vitæ prioris acta  
Deformia execramur.

Admissa tetra fassis  
Ignoscere: mitiores  
Nos quantacunque fratum  
Proteruitas habebit.

O fons benignitatis  
Exhauriende nunquam,  
Infunde sacro sanctum  
Præcordijs Amorem.

O flamma caritatis,  
Frigus perosa lentum,  
Pulso procul veterno  
Accende congelatos.

Liuorem amarulentum,  
Superfluos amores,  
Curas, metus, dolores

Spiritu  
scilicet.

## H Y M N O R V M

Fibris reuelle cordis.  
Auerte Christianis  
Mauortum furorem:  
Pacis Deus, cupitæ  
Largire dona pacis.  
O lux amica, mentis  
Iubar super-beatum:  
Cuiusque supplicantis  
Depelle corde noctem.  
Dispelle spectra, falsas  
Imaginesque rerum:  
Da, semper adlubescat  
Natiua forma veri.  
Da sentienda recte  
Sentire cuncta rectis,  
Et mordicus tueri,  
Per instituta vitæ.  
Discinde schisma, toto  
Fusas & orbe sectas:  
Coniunge dissidentes  
Concordia perenni.  
Da cogitare sana,  
Da quæque sancta fari, &  
Non morte finiendum  
Iter tenere celo.  
Sit laus, honos sit unus  
Vni, decusque trino,  
Cuius viget potestas,  
Sophia, ac Amor per ævum.

## H Y M N V S II.

In Spiritum sanctum Deum.

A Des beate Spiritus,  
A Da te yltri prodigum cui,  
Mentes veterno torpidas

## Feruore

## L I B . S E C V N D V S .

Feruore complens Entheo.  
Spinas reuelle noxias;  
Tristes repurga scrupulos:  
Disperde pallentes metus,  
Perfunde corda gaudio.  
Restingue flammas litium,  
Iras tumentes mitiga:  
Et dissidentes turpiter  
Vinclo tenaci colliga.  
Seda furores Martios,  
Enses reconde Noricos:  
Ramos oliuæ deferens  
Demitte pacem cælitus.  
Turcæ truces, & Tartari,  
Nulli domabiles Scythæ  
Suavis expertes iugi,  
Collum capistro prebeat.  
Nouos fatores dogmatum  
Contrariorum reprime,  
Et cultor vnius Dei  
Eundem, & vnum prædicet.  
Mentes superbæ deuice,  
Cristas inanes defeca:  
Homo gerens morem Deo  
Amore fratris ardeat.  
Non bilis exuratiecur,  
Frequens & iracundia:  
Nec Phœbus iratum cadens  
Christo renatum deserat.  
Mollito duriusculos,  
Molles item corroborâ:  
Pergant boni, surgant mali,  
Et tetra facta defleant.

Solare moestos, debiles  
Firma, cadentes sustine,  
Lassos foue, rudes doce,  
Vagos reduc, & deuios.

M

Liuor

H Y M N O R V M

Liuor faceſſat inuidus,  
Abit ſimultas, & dolus,  
Paffimque regnet, floreat  
Amabilis concordia.

H Y M N V S 12.

*AD CHRISTVM, PRO UNIVERSA  
reſtitutioſis humanae Oeconomia.*

**T**Emporibus cunctis, ante omnia tēpora, amas nos,  
Christe, decus ſummi, deliciūmque Patriſ.  
Primitus, in cælo, te vinci es paſſus amore:  
Excuſſit patri te pia cura ſinū.  
Laberis in terras, te Virginiſi inſeris aluo,  
Indueriſque hominem, diſſimulaſque Deum.  
Alternis tamen id vicibus, te namque recondis  
Intra hominem, produnt inclita facta Deum.  
Carnificum tandem ante oculos in vertice montis,  
Te domitūm domita morte triumphat amor.  
Quō te non adigat, mersum qui funere aceibo,  
Detrahit inferni Ditis ad imperia?  
Nimirum eductos diuturno ut carcere Patres,  
Præuius adſertor, ſidera ad alta, veſtas.  
Illinc munificus mage multo, miſſile donum  
Depluis in viua pectora iuncta fide.  
Halitus is ſacer eſt, cuius vi, & numine, cæli  
Plaudimus heredes, ſub genitore Deo.  
Hinc quoque fraterni tu nos dignaris honore  
Nominis, exteros flumine ſanguineo.  
Nec tibi crux, nec mors ſatis eſt pro talibus, almo  
Corpoſe ni paſcas, ſanguine ni exhilares.  
His epulis refici nos viſ, censoria dum lux  
Terrigenas ſiſtat Iudicis ante pedes.  
Supplicibus votis ideò præuertimus iras,  
Contractam, faſſi colluuiem, ſceleris.  
Parce reis, fratrum quām ferris ad imā tuorum  
Nomine, tam fratribus ſubuehe ad aſtra tuos.

H Y M -

L I B . S E C V N D V S.

91

H Y M N V S 13.

*IN CRUCEM CHRISTI IESV, QVÆ  
fidei Christiane fundamentum & columen eſt:  
Per Proſopopœiam.*

**V**T te ſuſpicio ſurgentem in ſidera truncum,  
Quo Domini rerum dulce pependit onus.  
Ut te deſpicio, defixum viſcere terræ,  
Eluctu tem homini conciliare Deum!  
Brachia quadrijugum tendant quō tenſa per orbem?  
In te homines ni ſic colligis, inquē Deum?  
In te Christiadum conuertiſt lumina, per te  
Astra petens, ad ſe nos trahit viſque Deus.  
Hei mihi, quān gestas interrita corpus I E S V,  
In nihilum effuſus quām propè mundus abit?  
Sol picea obducit tristes ferrugine vultus:  
Territa nocte graui lux, per inane, fugit.  
Conſternata fremit, vomit excita terra ſepultos,  
Abſilunt cautes, rupta ſepulcra iacent.  
At, nec prodigijs Iudaica pectora tantis  
Molleſcunt, rigido dura adamante magis.  
Innocui necedum ſatiuantur funere acerbo;  
Plus cane & oderunt, peius & angue Crucem.  
Cæca Dei ſocios rabies propellit ab vrbe,  
Qui Crucis, & Christi nomen in orbe ferant.  
Tu titulos, in cuncta ſequax, comitaris Iefu,  
Credentum liquidis corpora tingis aquis.  
Tu ſacra (ſic perhibent) inter mysteria fulges,  
Tempore quo Christus candida crux ſubit.  
(Norunt Christiadæ, fas hæc latuſſe profanos:  
Hinc canis abſcedat, ſus & amica luto).  
Signa Crucis rutilant ſpatiosum lata per orbem:  
Infrendens Solymus rumpit inuidia.  
Irruit in lignum vitale, exturbat ab alto,  
Ingenti inſoſsum te ſcrobe conſepelit:

M 2

Nèpia

Dionys.  
Areopag.  
Chryſof.  
homil.  
Quod ho-  
moſit De°.  
Canis, ha-  
reticus,  
Sus, Epi-  
curens.

**Ne** pia posteritas monumenta reperta', nefandæ  
 Dede<sup>c</sup>us in gentis vertat, & exitium.  
**Hoc** leue sit, si non Cypridos simulacra pudende  
 Tetra, super tumuli mole colenda geras.  
**Inca**ssum hæc : nam post aliquot te sœcula prodis,  
 Æquales inter cognita vera Cruces.  
**Ostent**i indicij multos namquæ ægra per annos  
 Exsilit attac<sup>t</sup>u foemina salua tui.  
**Helena.** Hoc studijs Helenes à cunctipotente tributum  
 Per populos latè posthuma fama canit.  
**Quæ** regio in terris rerum est ignara tuarum?  
 Vertitur en laudi, quæ fuit opprobrio.  
**Constan-** Proferat in vulgus facundia Constantini,  
**tinus He-** Qualis ei medio es visa micare die.  
**lenefilius.** Ille pares aquilas, vietricia temporis acti  
 Te Cruce confisus, signa valere iubet.  
 Deinde triumphator, te præduce vectus ad Indos  
 Cæsar abocciduo te rapit Oceano.  
**Quippe** fidem potuit tantus fecisse monarcha  
 Prælata memorans bella peracta Cruce.  
**Theodo-** Vim similem sensit, socius cui militat æther:  
**sius.** Sternit & hostiles grandine, & imbre globos.  
 Si patribus priscis edulcet flumen amarum  
 Iactus in id ligni, quid minus ipsa habeas?  
 Si Mosis Pharios exforbet Virga dracones,  
 Mens pia pestem Erebi te perarata timet?  
**Exod. 14.** Per te aditus nobis ad sidera, quidquid Hebræis  
 Illa repentinum per freta pandat iter.  
 Quidquid aquas populo extundat de cautibus aspris,  
 Tu mihi fons nunquam deficientis aquæ.  
 Tu Paradisiacis prius arbor consita in hortis,  
 Tu vitæ fruges vna perennis habes.  
 Sub te tuta quies, sopor est irruptus. abaret  
 Si colubros, verno tempore, vitis odor;  
 Hosce tuos & ad aspe<sup>t</sup>us, qui letifer anguis  
 Morsibus ignitis, protinus emoritur.  
 Quam benè de cunctis merita es, de gente fideli  
 In Do-

In Domino quotquot spem posuere tuo.  
 Sic Christi testes armas ætate priori,  
 Ne male supplicij tempore deficiant.  
 Res noua : transuersis quidam te effinxerat vlnis:  
 Immisæ membris abstinuere feræ.  
 Millæ genus morbis obiecta, & comprimis ignes:  
 Mors retrahit timidas, te rutilante, manus.  
 Ritè repurgatas si, Crux, signaueris oras,  
 Mortiferis abeunt mista venena scyphis.  
 Tu quoque quid possis, expertus apostata Cæsar:  
 Primates Erebi cuius in ore fugas.  
 Te visa, dat Segnities, dat terga libido,  
 Diffugit & tristis Spiritus inuidiæ.  
 Abiicit vndantes ventosa Superbia cristas,  
 Et breuis actutum concidit ira furor.  
 Proin, quocumque loco me mors, me vita manebit,  
 Obuersare oculis, Crux benedicta, meis.  
 Te penetrare meum, nocturni sponda cubilis,  
 Te paries habeat, tectaque celsa domus.  
 Te videam in sceptris, niueo diademate regum:  
 Purpura prætendat symbola clara Crucis.  
 Quisquis Apostolicis placitis constanter inhæret,  
 Hærefis inuitate gerit inuidia.  
 Ethnicus attollat rugosa nare cachinnos,  
 Me me probra iuuat sustinuisse Crucis.  
 In te conspicio partæ monumenta salutis:  
 Tu mihi Crux hominē fersq; refersq; Deum.  
 Aspiciens in te, qui tanta est passus, Iesum,  
 Te fero, Crux, oculis, pectore, mente fero.  
 Si domo treis hostes, Carnē, Cacodēmona, Mundum,  
 O bona Crux, in te glorier, & moriar.

Euseb. lib.  
8. cap. 7.

Julianus,  
comitate  
Mago.

# LIBER TERTIVS.

## HYMNVS I.

*IN ANGELOS OMNES, ET PRAE-*  
cipue, In Michaelem Archangelum.



Lata cæli qui neget agmina  
Mortalium res, aut minimum, aut nihil  
Curate, damnarit tenebris  
Consimili ratione solem,  
Præscripta nolit qui sibi munera  
Cursu diurno sedulis exequi,  
Lucus per orbem seminandæ  
Continuum renuens laboreo.  
Non finis ullus, non mora, non modus,  
Vlli angelorum, credita munia  
Ni compleant, omnes supremi  
Patris in imperium sequaces.  
Pars astat ardens lumine flammeo:  
Pars entheis differta scientijs,  
Quas spargat in cœtus (cuique,  
Nullius inuidia) nouenos.  
Vnum obtuerti, concinere & Deum,  
Munus perenne est, ac opus omnibus:  
Siue orbibus quidam regundis  
Præpositi, Patre sub benigno  
Currentis anni temperiem ordinent,  
Ventos, procellas, flumina vertere  
Sidentum ab infra consueti  
Corporibus genus omne pestes:  
Prouinciarum siue alij status,  
Et principantis iura monarchiæ  
Suffulciant, præsente vultu  
Nil patris ista vetant fruisci.  
*Matth.* Terram co'entum si minimus comes  
18. cap. Cæli minister sit minimo additus,

Expers

## LIB. TERTIVS.

Expers voluptatis, leui nec  
Niçtu oculi queritetur exul.

Mortalium flent rebus in asperis:  
Gaudent secundis, non fecus ac suis,  
Dum carnis exoices supernæ  
Consolent melius choreæ.

Forma frequentes conspicua hastenus,  
Innotuissent huic generi, genus  
Hos noxiæ omnis ni perosos  
Et scelus, & vitium fugassent.

Visi ruentis curribus igneis  
Quondam puello per iuga montium,  
Vatis rogatu, Dothaima  
Quim premit hostis eos in vrbe.

Visus trucidans, ilicet vnicus  
Totam Syrorum colluuiem, sacræ  
Muros sub vrbis clade tantæ  
Vix benè Sennacheribbe saluo.

Pæana quamuis letior hunc tibi  
Cantet Michael, Christiadum chorus,  
Victoriam qui sæuo ab angue  
Percelebrem miseris reportas,

Mendacij ne subdolus artifex  
Innoxiorum nomina deferat  
Totos dies, noctesque posthac  
Iudicis ad rigidi tribunal.

Tu dulcis Agai signifer inuehis  
Aulis olympi materiam vberem  
Laudisq;, nunquam desinéatum &  
Lætitias e piniorum;

Non ferre tardus terrigenis opem,  
Si forsitan instet dura neçessitas:  
Spectator ut Gargahus hōrum  
Sic locuples simul ipso testis.

Qua parte rauci despicit' Adria  
Fluctus, facellum vertice sustinens  
Quo non fide vana retenter

Dothaim.

Sennache  
rib.

Angelici

## H Y M N O R V M

Angelici monumenta amoris.  
 Bellator adfis impiger, inclite  
 Non obterendis tempore laureis:  
 Et qua potes vi, Christianam  
 Quod facis, vsque tuere gentem.

## H Y M N V S 2.

*In dñi Ioannis Baptista Natale.*

Piget prophetam dicere  
 (Si vera fas est eloqui)  
 Quo terra nil maius parit,  
 Quo sol nihil maius videt.  
 Immò omnis hunc honos decet,  
 Quem Christus ipsa veritas  
 Verbumque Patris maximi  
 Heroa cantat maximum.  
 Recte mones: Zachariae  
 Plectatur is silentio,  
 Mortalium qui maximo  
 Dulces modos negauerit.  
 Salta, puelle, conditus  
 Imo parentis viscere:  
 En Christus aduenit tibi  
 Coeli, solique gloria.  
 Quæ, voce clara, non potes  
 Aluo parentis abditus,  
 Testare sacra gaudia  
 Inusitatis motibus.  
 Latens latentem perspice  
 Noui datorem muneris,  
 Caliginis qui sordidae  
 Labem tibi deterserit.  
 Te noxiæ purissimum  
 Vult ille, qui tua manu  
 Tungi rogarbit postmodum.

## L I B . T E R T I V S .

Iordanis alto gurgite.  
 Vox calta matris virginis  
 Illapsa matris vt tuæ  
 Est auribus, statim tibi  
 Infantulo cor percult.  
 Quod ventre gestat pignoris.  
 Inhalat in te gratiam,  
 Quam tu puellus candidæ  
 Cum matre foeta diuidas.  
 Felix puer ter & quater,  
 Qui nec teipsum sentiens,  
 Sentis Dei præsentiam,  
 Agnoscis auctorem omnium.  
 Salta, saluta lusibus  
 Deum, quibus licet modis:  
 Qui vate quo quis plus habes,  
 Ordire vatis munia.  
 Puelle, vatum maxime,  
 Quo tu affatim refertus es,  
 Communicato spiritu  
 Vates parentes effice.  
 Natuitatis hæc tuæ  
 Inuisa plus satis mora est.  
 Muto ocius tenax patri  
 Resolute linguæ vinculum.  
 Emerge magne pusio,  
 Diffunde primulum iubar:  
 Hilarare mundum tempus est  
 Ortus tui diluculo.  
 Præcede solem, Phosphorus:  
 Hero anteuerete, Prodrome,  
 Non dispari vocis fono,  
 Clamore, vita, sanguine.

*In necem D. Ioannis Baptista.*

**L**Vgete valles, & nemorum abdita,  
Audita vobis, reddit vox filet  
Constanter ad Christum vocantis  
Prolem atavis vitiosiorem.  
Anne itis & vos in lacrymas, vagi  
Iordanis vnde? quæ trepida manu  
Hauſtæ hospitis sanetos Iesu  
Tingere vos meministis artus.  
Audistis illapsum patriæ sonum  
Vocis, ruentem sede ab olympica:  
Charissimo aures applicate,  
Terrigenum pia turba, Nato.  
Quid conspicari non licuit, quibus  
Sese videndum vertice, Spiritus  
Donavit innixum sacroto  
Visilis in specie columba?  
Ille, ille vestri fluminis accola,  
Tenso qui Iesum prodidit indice  
Agnum Dei mitem, efferati  
Occubuit gladio Tyranni.  
Ille, ille nulli non venerabilis  
Vultus, sacrandum sideribus caput,  
Lactique non cessura ceruix  
Fœmineos abit in triumphos.  
Res bella, mœchæ filia, mobili  
Saltu impudicum docta mouet latus,  
Mœcho suæ mœchæ parentis  
Plus nimio placitura regi  
Saltationis præmia vt auferat  
Disco prophetæ depositum caput,  
In posterum ne probra fedi  
Liber adulterij loquatur.

Infanda quis non hæc canere horreat?  
Ante ora regis discus obambulat,  
Ante ora mœchæ, satraparum  
Vix satis ista ferente coetu.  
Foeta illa tantum tigride ſæuior  
Pascit tuendo ardentina lumina:  
Vix illa vesanum furorem  
Exſatiat fluitante tabo, &  
Marcente iam vultu Iuuenis. sed &  
Adhinniens rex diſſimulat nefas:  
Quicquid tyranni peccus atrox  
Subſiliens Nemesis flagellet,  
Impunè quod non is ferat, illico  
Regno exuendus, non sine Galici  
Luſtu exili (testis Vienna eſt)  
Carptim animum lacerante luſtu.  
Hæc pauca mœſta ſunto tragædia,  
Diuina ſi fas confilia exequi,  
Quæ diritas nunquam cruenta,  
Aut hominum labefactet actus.  
Certè neceſſe eſt cedere Phosphorum  
Ardente Phœbo, cedere prodroſum:  
Et, quem modo vitæ präxiuit,  
Funere ſanguineo referre:  
Squalore furui carceris obſitum,  
Legis ſub umbris progenitum, priuſ-  
Quam luce, funefo renudet  
Membra Deus moritura truncō.  
Tu Diue, Diuis maximus addite,  
Terram colentum maximus vt cadis,  
Mortalis aulæ temnis auram,  
Ætherea mage dignus aula.  
Doctrina per te tradita ſi nitet  
Veri, expiato crime noxiæ  
Da veritatem labe demita  
Discere, teque ſequi magistro.

## HYMNVS 4.

*In D. Petri liberationem à vinculis.*

**Q**Vem vult olympi prona benignitas  
Fulgere summo conspicuum gradu,  
Gurgustij nunquam pusillum  
Assiduæ latebræ tenebunt.  
Præter phaselum vix benè sutilem  
Nil, Petre, noras, raraque retia,  
Qua luce te te ad functionem  
Christus Apostolicam vocavit.  
Orbi regundo quem deus alterum  
A se potenter legerit arbitrum,  
Qui clae, non claua minaci  
Ius homini, superisque dicas,  
Herodianus detineat furor.  
Vinctum catenis? Non ita, quamlibet  
Obsessus armatis, profundo  
Somnum ineat religatus antro.  
Cœtus piorum questibus interim  
Cælum fatigat, nonsine lacrymis,  
Dum liberantem extundat astris  
Aligerum precibus ministrum.  
Cunctatur is nil; horribilis fores  
Antri recludit, fulgure splendido,  
Vinclisque captiuum solutis  
Præcipit ire sibi secundum.  
It liberator terrigenæ angelus:  
It liberatus, mancipium angeli  
Cephas, adhuc visis nec audet  
Credere, nunc quoq; semisomnis  
Nil claustra portæ hinc obuia ferreæ  
Ambos morantur, nil sera pertinax,  
Vectesue, diuinisque cuncta  
Obsequiosa deinde iussis.

Nunc

## LIB. TERTIVS.

Nunc, Petre, tandem certior es tibi  
Partæ salutis, nec manicas times  
Herodianas, aut parata  
Saxa tibi à populo, aut securim.  
Stant præstituræ fata tibi necis,  
Testante Christo, vincula te manent,  
Te par cruci crux & magistri,  
Canitie niuea decorum.  
Nos interim si compede noxiæ  
Pressos leuaris sollicitus pater,  
Ad gratias tecum olim agendas  
Nos socios, alacrélique habebis.

## HYMNVS 5.

*In Petrum Crucis affixum.*

**Q**Vem (rogo) pastorem se dignum legit Iesus?  
Qui post habet Deo patrem, se, omnia:  
Quem non terret iter, dum iungi detur Iesu,  
Per turgidum ventis strepentibus mare:  
Cui diuinus amor torret præcordia, cui cor  
Reuinxit ære triplici tenax fides,  
Progeniem Æterni properè testata Parentis  
Supra omnium vanam fidem mortalium.  
O quam conspicuum est periuro in præfule crimen!  
Si non amaris eluatur lacrymis.  
Labitur insignis pietate, & fortibus ausis,  
Metuant sequentes vt sibi confidere.  
Quanquā alia est ratio tam fedi in præfule lapsus,  
Vt iniior sit cæteris peccantibus,  
Quem Deus antetulit reliquis, nec saeuiat ira im-  
Placibili, lapsus pudendi conscius.  
Signa dabit rauco vigilans quum gutture gallus,  
Singultienti vt lacrymas extorqueat.  
Fœlix qui monitus, resipiscit, ab oscine gallo,  
Christi efficaci tactus idem lumine.

N 3

Spem

Spem veniaæ vt faciat , veniam cuicunque petenti,  
M̄erentibus reis, reus dux, & caput.  
Exigit Altitonans talem, cui flectere dictis  
Tria & virūm, rursusque quinque milia  
Donat; Apostolicos primus qui libet honores,  
Fando intonans suis salutem publicam.  
Primus in horrentes eat atri carceris vmbras,  
Et prima sacret morti Iesu vulnera:  
Qui post fata Dei patret miracula primus,  
Exsuscitans heri optimi potentiam.  
Hisce rudimentis primus præconia Verbi  
Exorsus vrbe, quæ necem Christo irrogat,  
Littoreas post hæc peregrinus fertur ab vrbes,  
Haud iam amplius fastidiosus lucrio,  
Seu Solymæ, cui se addixit pro tempore, gentis,  
Siue Helladis fauturus æquæ barbaris.  
Primate Antiochi tenuerunt mœnia , sedis  
Auctoritatem maximæ, & nouum decus  
Admirata : Asia hoc magno magna vfa magistro,  
Pontusque, Cappadoxque, cum Bithynijs,  
Complureſque alij numero, quim maxima Roma  
Acciuit ad se Apostolorum maximum.  
*Simon magus.* Sic volente Deo , ne magna impostor in vrbe  
Mauortiam gentem dolosus fascinet  
Fraude Samarites nimia , se credere cœlo  
Afsus, volatum dirigente dēmone,  
Dum ruat in præceps, sparsurus sanguine terram,  
Simonis ad preces pias Simon magus.  
Res peperit famam Petro, qua dogmata Christi  
Occasione gentem in omnem diuidit.  
Hoc sit principium imperij, sub principe Roma,  
Quod morte tandem constet, atque sanguine.  
Hoc sceleri decuit scelus accessisse Neronis,  
Vt Christi amicum tollat in diram crucem,  
Ad terram capite inuerso, qui commode olympum  
Spectet, sui Christi perennem regiam,  
Orbe excessurus fato non dispere herili,

Iactator

Iactator olim adire promitus carcerem,  
Deniq; vel mortem fidi comes vſque imagistri,  
Si facta promissis quidem respondeant.  
Proh Deus, h̄ic quæ non tegis, & periuria pensas  
Nudus , supinus Petre in alto stipite  
Distentus? Maria ac terras emensus , olympos  
Iter vltimum nunc tendis, vrbe Romuli  
Teste, tuos cineres quæ religiosa tenebit  
Dum murus vrbe victor inclitam ambiet.  
Intereā tu, Petre , sacri moderator ouilis  
Non lechte frustra, credito tibi gregi  
Omnigenas pestes, rabiémque auerte luporum,  
Dum lāta Christus apparabit pascua  
Montibus in summis vbi flos ; vbi perpetuum ver  
Fœlicibus deducitur fauonijs.

## H Y M N V S 6.

*In D. Paulum conuersum.*

C Omperta narro, credite posteri :  
Ex efferato mitifice lupo  
Effeclus est agnus , cruenti  
Abijciens studium furoris.  
Qui dente acuto effregit ouilia,  
Expleri ouillo sanguine vix potis,  
Nunc faucibus se det luporum  
Sponte sua, lanijue cultris,  
Audita si vox caelitus exigat  
Christi increpantis : Saule, quid in Déum  
Cæcatus ista mente, nullo  
Consilio, aut ratione sœuis!  
Iactare calces in stimulum ferox  
Impunè speres? Quin age, proxima  
( Vt te obsequi cerno) Damascus  
Perficienda tibi, docebit.  
Ne sit meorum qui mea valdius

Disse-

Disseminarit dogmata, latius  
 Te, qui salutem restitutam,  
 Et memoret titulos Iesu.  
**C**ristis superbus, quadrupedante equo  
 Qui vinctus ibat, sternitur obrutus  
 Vi fulguris mox irruentis,  
 Vocis & horrifico fragore.  
**H**æc militis tirocinia optima  
 Sint Christiani, præcipitatum humo  
 Hærere, fastuque arrogante  
 Deposito, Dominum vereri.  
**D**escendat in se, nil tribuat sibi,  
 Et totus vno pendeat à Deo;  
 Vitæ suæ summo relinquat  
 Mortis & arbitrium Parenti,  
**Q**uicunque cælo affectat iter breue:  
**Q**uod, Paule, raptum te quoque credimus,  
 Seu mente, seu carne in cad uca,  
 Ambiguum in medio relinquis.  
**H**ic nempe ternis orbibus altior  
 Arcana totis auribus imbibis,  
 Quæ corporali septum amictu  
 Commemorare homini nefas sit.  
**N**unc te choris cælestibus insitum,  
 Te prædicamus, non tamen inscij  
 Odisse inexhaustam ruentum  
 Ingluiem quoq; nunc luporum  
 In Christiani perniciem gregis.  
**L**argire Christo proximus, vt prece  
 Multum potes, fidos, saluti  
 Qui pecudum studeant, magistros:  
**I**n strage tanta si pecoris neces!,  
 Et vastitatem flemus ouilium.  
 Nil questubus iustis Iesus;  
 Nil precibusque tuis negat.

*In necem D. Pauli.*

**T**V, qui Saulus eras prius,  
 Paulus nunc humili nomine diceris,  
 Tinctus gurgite lustrico,  
 Non fortis minus, at duplo animosior.  
 Nunc incommoda pristina  
 Sarcire officijs te melioribus  
 Par est, vrbe, tibi eximit  
 Quæ sacro omnigenam flumine noxiā.  
**H**æc Euangelij decus  
 Primum pro meritis scilicet accipit  
 Ex te, tēque neci hospitem  
 Textis vimineis incolumem eripit.  
 Et quo te profugum feras,  
 Ni recta ad Solymos, vt facias fidem,  
 Quos disperdere iussus es,  
 Iis indiuiduum te comitem fore?  
 Hinc te Cæsaream abripis  
 Visurus Cilices more nouo tuos,  
 Vt Cydni resonent aquæ  
 Mites, indigenæ dicta salubria.  
 O quantū, & quoties stupet  
 Te fandi artificem, flexanimum, impigrum,  
 Nomen Christicolicreans  
 Vrbs cincta Antiocho turribus arduis!  
 Hæc te emittit Apostolum  
 Promtum ferre habili dogma Seleuciæ,  
 Regnis vt Cypris Venus,  
 Famosæque diu iam metuat Papho.  
 Indignatio colligit  
 Hic iusta, ætheream vim tibi, ne magus  
 Da mnatus tenebris tibi,  
 Posthac arte mala ludificet Cyprus.

O

Quid

*Solymis.**Cæsarea.*  
*Cilices.*  
*Cydnus.**Antio-*  
*chia.**Seleucia.*  
*Cyp. us.*  
*Paphos.*

*Iconium.*

Quid non Iconium dedit

Quid non Lystra mali? nam cadis obrutus

Illic grandine faxea,

Firmo stare iubes qui pede Lystrum.

Quò te flectere iter labos,

Quò reflectere mortis veruit timor,

Si spes spargere latius

Christi dogmata? si figere certius?

Quis fando queat assequi

Cursus Paule, tuos, sollicitudines,

Casus, verbera, carceres,

Mortes assiduis mortibus additas?

Haurit te mare naufragum

Ter, te terra semel plangit adobrutum

Saxis; horrida nox simul

Et lux ingeminat quæque pericula.

Æui terminus attramen

Nulla vi, crepera nec vice mobilis,

Vt stat cuique, Neronium

Tandem, Paule senex, in gladium incidis.

Hoc crudelius impij

Ausis vult Deus accedere principis,

Vt nex hæc tua peruolet

Orbem, percelebri septa Tyrannide.

Te non vrbe alia mori

Certè condecurit, compare cum tuo

Cepha, constet vt vrbibus

Vrbem morte pares vincere maximam.

## H Y M N V S . 8.

*In D. Andream Apostolum.*

**F**ratres gemelli non similes magis,  
**N**on ouum & ouum, quam similis tuo  
 Germanus es Cephæ, prioris  
 Moribus, & ratione vitæ,

Ac sub-

Ac subsequentis, paupere seu pares

Vecti phætelo, retia tenditis

Stirpi natantum, xestus, niuales

Haud trepidi &amp; tolerare ventos:

Lucrosiori seu generosius

Piscarier vos terrigenas iuuet

Quæstu, per &amp; spes, &amp; metus, per

Mille pericula, mille mortes.

Insigne vobis hocce peculium est,

Iussus magistri perficere ilicò :

Laus vestra, primos patriam artem

Deseruisse, vocante Christo.

Te, post receptum si derea domo

Vitæ magistrum, Colchicus audijt

Phasis, Deum verum, diserta &amp;

Scita Dei memorare lingua.

Te Sogdiani, te, fera gens, Saci;

Doctore claro te tumet Apsarus,

Ni forte tanti nationem

Peniteat Scythicam magistri.

Culpatur Hellas mater at artium

Crudelitatis nomine, quæ crucem

Pro fruge tandem Christiana,

Hospitij &amp; merito reponit.

Probrum sed esto Præsidis efferi,

Qui præter æquum, iuraque publica

Vult te reum deprædicati

Supplicium subiisse trunci.

Lis orta, certamen dubium: reo

Præses necem instans accelerat, reus

Mortem sibi congratulatur,

Plebs studet eripuisse morti.

Viætrix futura est plebs, nisi fortior

Conclusus umbris carceris, impetræ

Vitæ exitum, mortem cupitam,

Qua propius sociere Christo.

Optas magistri supplicium insequi:

*Phasis.**Sogdiani.**Saci.**Apsarus.**Scytha.**Hellas.*

Clamas beatum te cruce in aspera,  
Præco crucis, iam morte maior,  
Et trucis inuidia Tyranni.  
Cælo tonantem si quid apud Deum  
His in triumphis, Diue, potes, dato  
Constanter impostam misellis  
Ferre crucem, opprobriumque mundi.

## HYMNVS 9.

In D. Philippum Apostolum.

*Ioh. 14.* Philippe vis, faxit tibi  
Christus, Magister optimus,  
Patris propago maximi,  
Patris videndi copiam.

Æquum petis, cui fidus is  
Semper comes: Christum vide.  
Imago Patris Christus est,  
Et instar expressissimum.

Quæ tradit orbi dogmata,  
Succo salubri viuida  
Depromit imo filius  
Magni Parentis pectore.

Quæcunq; præter ordinem,  
Legesque naturæ efficit  
Natus, Parentis Numine,  
Potentiaque perficit.

Mortalibus vult optima,  
Ecurat omnia omnibus,  
Non absque Filio Pater,  
Non absque Patre Filius.

Hunc obtuere, seu Deo  
Verbis Patri nouissimis  
Custodiendum de Cruce  
Committit alta spiritum:  
Seu restitutus aureæ

Luci, sub ortu tertio,  
Die statu aureum caput  
Inter recondat sidera.

Hoc postea reflectere  
Nunc, quam vocaris ad crucem,  
Nullis tuis laboribus  
Parsurus, & periculis.

O victor immanissimæ,  
O eruditior barbaræ  
Gentis, tibi palmam, tibi  
Plebs festa laurum porrigit.

Lucratus es Christo Scythes,  
Durum genus: sed non ferus  
Te purpurante laurea  
Quisquam Scythes donauerit.

Hoc Ebionis vindicet  
Crudelitas Scythæ inuida,  
Quæ saxa, quæ diram crucem  
Innoxio, & necem parat:

Hoc nempè tantum nomine,  
Quod Christus esset optimè  
Sub inuolucro corporis  
Longo tibi vsu cognitus

Diuitiate par Patri,  
Par vtriusque flatui:  
Substantia sed carnea  
Par cuilibet mortalium.

Nunc alleuatus corporis  
Mentem grauantis pondere,  
Quam nube terfa clarus  
Multo deum Patrem vides?

Vt intueri te iuuat  
Os aureum Christi tui?  
Vt frontis augustum decus  
Celi serenans atria?

Afflæcte terræ, si licet,  
Misertus ingementium

## H Y M N O R V M

Sub tristis exili malis,  
Beata, Diue, lumina.  
Afflecte, si liber, licet,  
Nullo perennis gaudij  
Dispendio, nos in tuum  
Asciscito consortium.  
Si quos cupisti perditè  
Vultus Dei nunc possides,  
Vultus Dei communiter  
Tecum fruendos obine.

## H Y M N V S 10.

*In D. Ioannem Apostolum.*

Hic dulcis est Iesu,  
Hic suminus est amicus  
Int̄ēr Dei sodales  
In orbe commorantis.  
Hic fronte liberali,  
Hic ore virginali,  
Et castiore philtro  
Primas amoris aufert.  
O ter, quat̄que fœlix,  
Cui se Dei propago  
Communicare certat  
Totum tenello amore.  
Respondet huic alumnus  
Reciproante amoris  
Incendio, suauem  
Oculis ferens magistrum.  
Vnā cibum libenter  
Capit, esurit libenter:  
Vnā iuuat vorare  
Vitæ, viæ labores.  
Non vspiam vicissim  
Magister absque amico

*Est hunc*

## L I B . T E R T I V S.

Est. hunc habet, Iaïri  
Dum sospitat puellam.  
Dumq̄e induit coruscos  
Vultus iugo Thaboris,  
Hunc vnā adesse mandat,  
Hunc tertium esse testem.  
Quid lenijsse tristem,  
Ob fata dura amici?  
Nouissimas sub escas  
Sinu tepente pressum?  
Horret nec absque amico  
Mortis necessitatem,  
Nec perfluit cruento  
Summis oliuæ in hortis.

Capto licet magistro  
Comites metus fugarit,  
Hunc vnicum cruce alta  
Pendens vide magister.

Huic adjicit labantes  
Oculos, ferit tuendo  
Oculos, tremente voce  
Cordis quatit latebras.

Huic virginis sodali  
Et virginem Parentem  
Committit, & Parenti  
Mox virginis sodalem.

Concedit his peractis  
In fata mortis atræ  
Exempla (demto amico)  
Comitum gregi relinquens;  
Nam, cæteris cruenta  
Dum fata destinari,  
Hunc subtrahit seorsim  
Ferro, eximit crori.

Feruente frustra olio  
Te Cæsar efferatus  
Pertentat: vndiquaque

*Vnctus,*

**H Y M N O R V M**

Vnctus, nec vstus exis

O Diue: namque longo

Te sœculo referuat

Tuus tibi astra cœlo

Cotemperans Iesu,

Sodalibus superstes

Seram dolere possis

Vitam , tibiique regnum

Cælestè prorogari.

Fers æquius, tot annos

Protracta fila vitæ,

Præclara facta Iesu

Charta exarans fideli.

*Cherin-*      Quidquid tibi Cherinthus

*thus ba-* Negotii faceſſat,

*reticus.* Dulce est amare Christum,

Vulgare Christi amore.

*Patmos.* Mirata ſæpè Patmos,

Voces ad exulantis,

Inhospitale, ſurdum

Litus, ſonare Christum.

*Aſia.* Aſix feracis arua

Pincerna quæ propinas,

Christi bibunt ſuaves,

Christi crepant amores.

Valles tibi reductæ,

Syluæ tibi comantes,

Et confragofa iunctim

Saxa accinunt Iesum.

Per rura te, per vrbes

Ebuccinante Iesum,

Et erudita rura

Reddunt Iesum, & vrbes.

Vrbs fascinata dudum

Cultu impio Dianæ

*Ephesus.* Ephesus ſonare dicit

Te præcidente Christum.

**L I B . T E R T I V S .**

Tantisper & ſenili

Ciues ab ore pendent,

Donec tuum ſubintres

Viuus, videns ſepulcrum.

Mos hic humationis

Gentem fugit caducam :

Luce indui ſepultum,

Efflare diuum odorem.

Lux dia ſe remifit,

Euanuere odores:

Non oſſa tumba monſtrat,

Laciniumuē veſtis.

Vbi ergò nunc locorum

Agis ? Tuūtne, Christus,

Ignis, tuine te ſic

Aſforbuere amores ?

Maiórne, te minorem

Depaſta flamma flammam

In ſe abripit, vel haurit,

Hauſtamque conflat in ſe ?

Gaude iſtius beatæ

Honoribus rapinæ :

Paribusque noſtra cures

Feruere corda flammis.

**H Y M N V S A L T E R I N D . I O A N N E M**

*Euangelijam, verſu Elegiaco, eadem ferè  
materia II.*

**M**Elliflui , Deus , ô Christi mellite ſodalis,  
Impatiens comiti fidus abeſſe comes,  
Cuius & in ſcriptis (mera namq; opobalsama ſudant)

Et merus in verbis deliciatur amor,

Estne Palæſtinis, quò , te ſine , Christus in oris ?

Estne locus, Christo quò ſine amicus eas?

Stātne tonans dictis præco flammantibus ? astas:

Quùm rabies abigit cæca, fugitne ? fugis.

P

Induitur

Tantisper

4 HYMNORVM

Induitur rutilo solaria lumina vultu  
Seposti montis culmine ? amicus ades.  
Siue repentina sublatam morte puellam  
A mortis reuocat limine, rursus ades.  
Instant legitimæ communia fercula mensæ?  
Instruitur iussu mensa paranda tuo.  
Atterere est magnum recubantis pectora, charos  
Inque sinus charum deposuisse caput.  
Sacrilegi, est aliquid scitari, & discere nomen,  
Cuius ab insidiis perditur orbis honos.  
Christus oliuiferis genitorem implorat in hortis:  
Ad lapidis iactum, de tribus vnuis ades.  
Pontificis raptum celer assestatis ad aulam,  
Pontificis veteri fretus amicitia.  
Anxia quām cruciat te sollicitudo prehensi,  
Effodit extincti tam tibi corda dolor.  
Lumina prospetas in morte natantia amici,  
Virginis & curam virgo parentis agis.  
Tu melior Petrum cursu præuertere, Petrum  
Intima sarcophagi tecta subire finis.  
Acrius & quis te rediuiuum agnouit Iesum,  
Quum tua piscoſo naſſa repleta lacu est?  
Sed mea quur patulo te lingua ebuccinet ore,  
Si propè continuo mens riget icta gelu?  
Accelera aſtrictum torpente fouere veterno  
Incendens Christi pectus amore tui.

HYMNVS 12.

IN D. BARPTOLEMAEV M APOSTO-  
lum, qui Nathanael fuſſe à quibusdam censetur.

Natha-  
nielus. **T**Vn' ille fuci nescius ac doli,  
Nathanaelus, pectorc candido?  
Mortalium talem Redemtor  
Veridico celebrauit ore.  
Non otioso nos tamen interim

Appelli-

L I B . T E R T I V S .

Appellitamus nomine, præliis  
Te destinatum, tecreatum,  
Barptolemæ, virum canentes.  
Non sœua pugnis dextera Martiis  
Hoc militanti contribuit decus:  
Non haustus humanos per artus  
Ense crux, tepida vel hasta.  
Sed perferendis certa fides malis:  
Fastidiendæ pectus idoneum  
Et pulchræ ad extreum, trecenta  
Post repetita pericla, morti.  
Testis laborum profuit Indicus  
Ganges tuorum, strenuus expolis  
Dūm barbarem, dūm decolorem,  
Viuifica pietate, gentem.  
Lætus secundis auspicijs, iter  
Magnum reflectens, Armenium Dei  
Traducis ad veri salubres,  
Auspice Christo, & agente cultus.  
Celo supinas, tintus aquis manus  
Tendit Palæmon, non sine crimine,  
Rixosa fratris floccipendens  
Diæta, minas, odium, furorem.  
Quodcumque culpæ est, si modo culpa sit,  
Tersisse Christi sanguine noxias,  
In te redundat, tu suasor  
Plecteris acer, & vnuis auſtor.  
Mulctatus, ah, quām supplicijs ades  
Non vſitatis! non facies cute  
Respondet abſtracta figuræ  
Corporis ſue habitus priori.  
Non ſic onus vulnere, totus &  
Vulnus, supremo verticis à pilo  
Calces ad imos, morte lenta  
Ex faturas rabiem Tyranni:  
Ni des secundum carnifici caput,  
Audita bis sex lingua per oppida

P 2

Ganges.

Armenij.

Palamon.

Nelaudi-

## HYMNORVM

Ne laudibus tollens Iesum

Multa Deum simulacra damnet.

Hæc causa mortis sponte obitæ tibi est:

Hæc mors olympo reddit Apostolum

Non carne, mundo, non subactæ

Mortis & imperio minorem.

Nunc ampla celi regia vindicem

Intaminatis tollit honoribus

Te veritatis, te feuerum

Sculptilis impietatis hostem.

Quem pelle detracta furor efferus

Fedè impiorum aspectibus obijcit,

Nunc insitum celi choreis

Perpete Christus honore vestit.

Fallorne? priscum non studium tibi est

Eliminandi nomina, queis Dei

Vim ligna, vim fulgens metallum,

Atq; hominum stupor arrogauit?

Insanientes quæ malè fingimus,

Idola nostro disisce pectore,

Luxum, caducæ vitæ amorem,

Numen & exitiale numi.

Qua gratia nil non potes, effice

Exasperatum concilies Patrem,

Ne Numini nugas inanes

Præposuisse coarguamur.

## HYMVS 13.

In D. Iacobum Maiorem Zebedai filium.

**F**rater Ioannis, comes indiulsus Iesu

Hic Iacobus, habet

Mansuro Pater æternam cum nomine vitam,

Sive per ora virum,

Quos semel absument perituri incendia mundi,

Sive magis superum,

Qui

## LIB. TERTIVS.

Qui saturi ambrosia, dulci qui neçtare viuunt

Tempore perpetuo.

Quid ni æuum ducat sine fine volubilis æui,

Qui Patris vnigenæ

Inter præcipuos tres annumeratur amicos?

Quo sine, filiola

Non surgit Iairi, non montis vertice vultus

Induit insolitos

Christus, oliuferis nec sanguine sudat in hortis,

Proxima fata videns.

Ast vbi diuinos concepit pectore flatus,

Corda mouente Deo,

Post quinquagenas, impleto tempore, luces

Funere ab horrifico

Seruatoris heri, sedato pectore fatur

Vir pietate grauis,

Mistus Apostolicæ, tractant dum seria, turbæ.

Erudit hinc Solymos.

Solymi.

Finitimæ accipiunt vitalia dogmata gentes:

Dat Samaria tibi,

Dant tibi, Diue, manus, bello gens aspera, Iberi:

Diues abis spoliis.

Samaria.

Iber.

Terrarum spatia emensus, spatia æquoris alti,

Redditus es Solymis:

Vt furor Herodis, gente acclamante nefanda,

Demetat indigenæ

Inuisum caput. Interea dominator olympi

Hoc tibi honoris habet,

Vt bis sex è principibus, queis cederet orbis,

Sanguine purpureo

Primus Apostolica, reliquis dux, morte litaris.

Da, venerande Pater,

Pastores primi tua prima exempla sequantur

His quoque temporibus;

Queis verum, pietas, queis sordet auta tyrannis

Vndique religio.

Hermogenes laudum si pars non parua tuarum

Nobilis hæreticus  
 Ore tuo astrictus, fatigas peruinccere & huius  
 Temporis Hermogenes,  
 Qui fraude, & furijs, qui ferro, & sanguine sœui  
 Impia bella gerunt.  
 Hos tu clucratus melioris fraude rapinæ  
 Restitutas sociis  
 Nostratum gregibus, qui celi in pinguia Christum  
 Pasca consequimur.

## H Y M N V S 14.

*IN D. IACOBVM, MINOREM UULGO*  
*dilectum, alias cognomine Iustum, & fratrem*  
*Domini, Alphæ filium.*

**S**Alue magne Pater, quem non contagio sœcli  
 In mala propensis contigit vlla notis.  
 Te frugi puerum, & iuuenem vicinia dixit,  
 Personat & sanctum tota platea virum.  
**A**udum te duplii titulo, insignemque vereinur,  
 Iustus enim, & Domini nomine frater eras.  
**H**oc solum tibi delicium, tibi sola voluptas,  
 Sola & inexhaustæ cura, laborque, preces.  
**A**rguit hoc facile tetrici constantia vultus,  
 Et rigidè indurans callus vtrumque genu.  
**N**unc specie venerandus ades, cultuque senili,  
 Exornante tibi tempora canicie.  
**C**anitiem mitra simul exornante bicorni:  
 Namque vigil pastor præficeris Solymis.  
**E**t iam pontifici triginta impleuerat annos  
 Officium, Angelico dignius officio,  
**Q**uam tu iudicium de Christo ferre iuberis,  
 Arduus & templi culmine verba facis.  
**C**ur bona de Christo cunctator dicere cessem?  
 En Deus ætherea, dicis, in arce sedet.

Olim

Olim nubiago inuectus per inania currus  
 Censor terrigenum, censor erit Superum.  
 Finieras; pennis mox deturbatus ab altis,  
 Et media excussus præcipitaris humo.  
 Et sic, Diue, iaces, animamque efflasse putaris:  
 In genua assurgis, fundis & ore preces,  
 Pro gente hostili: furiali percitus ira  
 Comminuat fullo dum tibi veſte caput.  
 Ergò quæ tibi terra necem trux intulit, ipsa  
 Contiguum templo terra dedit tumulum.  
 Corporis hæc funto tantum, molisque caduce;  
 Nam meliore tui fidera parte petis.  
 Scilicet hic, fuscæ demito velamine nubis,  
 Et gaudes Christo, perfuerisque tuo.  
 Nec tibi causari quidquam licet otia agenti,  
 Quo minus assidua nos prece, Sancte, iuues,  
 More tuo: nec enim quidquam mutatus ab illo es,  
 Qui veniam innumeris hostibus usque petit.  
 Exaudi, fer opem nobis, qui iussa Tonantis  
 Perficere ardemus, & tua facta sequi.

*IN D. THOMAM APOSTOLUM,*  
*Gracis Didymum.*

## H Y M N V S 15.

**N**on animi est humilis, pro præceptore pacisci  
 Vitam. Quid, hoc suadere idem fodalibus?  
 Carceris ut subeant umbras, mortemque capeant  
 Doctoris in periclitantis gratiam?  
 Si tumidæ hinc absit modò confidentia mentis,  
 Præsente nec sis destitutus spiritu,  
 Bellè: sin secus, in nihilum iactantia abibit,  
 Ut nullo inanis bulla sit vestigio.  
 Id liquidè ostendis sub tristia fata magistri,  
 Turpi fuga tuæ saluti consulens

Lucifugus

Lucifugus plane, socijs abstractus, vt ipsum  
 Octo diebus excitatum à mortuis  
 Christum nō videas, neq; duro pectore credas,  
 Nisi notes oculis hiantia vulnera,  
 Siue citatrices rediuiuo in corpore Christi  
 Superstites: nisi cauo lateri, indice  
 Immissio, penitus liceat tentare latebras.  
 Procrastinatricem ipse contumacia m  
 Fert Dominus: rediens palmaſque, pedesq; renudat.  
 Oculis tuis, præbet latus palpabile.  
 Tunc demūm ingenuè Dominumq; Deumq; fateris,  
 Non absque tardioris hēfiantiae  
 Culpa non modica, tibi quam condonat Iesus,  
 Surrectionis hoc fidem astreuens modo,  
 Te dubitante vno dubitent ne postera fæcla.  
 Incumbis hinc mox gnauiter negotio,  
 Siue feros Persas adiens, seu fortia bello  
 Germaniæ tumultuantis pectora.  
 Ne taceam Hircanos felices vberē glebæ,  
 Protuberantis & botri, præter modum.  
 Quid metuas, qui Memnonios procurris ad Indos  
 Christum ferens & ore promto, & pectore  
 Constanti, intrepido per adæctæ incendia prunæ,  
 Seu laminarum duriter cendentium?  
 Non incensa tibi fornax extorquet Iesum,  
 Non spiculorum mucro concurrentium,  
 Queis te perfoſſum vidit Calaminia, Christi  
 Quæ te ſinu tenet ſepultum Martyrem.  
 Quid tibi non viuo, non debeat vna ſepulco,  
 Encomiis te concinens, Ecclesia?  
 Quæ tibi vita fuit, quæ, vitæ terminus & mors:  
 Vero afferendo & hæc, & illa ſeruiit.  
 Exemplis da, Diue, tuis nos quærere verum,  
 Solique vero viuere, & vero mori.

*Perſe.**Germa-**nia.**Hircani.**Indi.**Calami-**nia.*

*IN D. M A T T H A E V M A P O S T O -*  
*lum, Euangeliam, & Mariyem,*  
*alias Leni.*

**M** Atthæe, diues linque telonium:  
 Christus, relicta ſede nefaria,  
 Inuitat, & ſacræ cooptat  
 Te comitem, ſocium que mensæ:  
 Quænam ſit, haud nunc, poſt melius ſciens:  
 Dilcenda primum pauperies, cibo  
 Contenta vili, ſæpè nullo,  
 Peruigiliique ſubinde nocte.  
 Nil hic morantur te loculi graues,  
 Lucri cupidio pectori & infita:  
 Pauiffe lauto iam repertum, eſt  
 Unica cura, epulo magistrum.  
 Non ſit virorum milibus in decem  
 Solertia te, ponere calculum:  
 Siue ingenî viuax acumen,  
 Siue agiles digitos putemus.  
 Non dicta Christi, factaque plenius  
 Quisquam tabellis pingere doctior;  
 Vernacula quæ ſcripta lingua  
 Sepè legant, relegant Hebrei:  
 Voces priuſquam torridus Æthiops  
 Ex te ſalubres auribus hauriat.  
 Namque igne ſolari peruſtam  
 Dat tibi ſorſque, Deusque gentem.  
 Ipſa pœco Christi per medios virūm  
 Cœtus nigrantium, quos niuis æmulio  
 Mersos ſemel puro fluenti  
 Gurgite reſtituas nitoris.  
 Miraculi vim nec ſuperum Pater,  
 Quæ dogma ſanctum fulciat, abnuit:

Nam

## H Y M N O R V M

Nam regium sub lucis oras  
Mirificè reuocas puellum.  
Te casta Regis filia & auspice,  
Christo dicavit virgineum decus :  
Sed sustines penam magister  
Propositi bene pertinacis.  
Insanientis namque odio proci  
Deprena ad aras occidis hostia,  
Et sacra, quæ fers incruenta,  
Imbuis ipse tuo cruore.  
Proin annuis te concio laudibus,  
Nostrumq; dicet carmen Apostolum:  
Euangelistam te sonabit,  
Sacrificumque, Deiq; testem.

## H Y M N V S 17.

**I**X IV DAM A P O S T O L V M , M I N O R I S  
Iacobi fratrem, & Simonis Cananei seu Zelote,  
alias Thaddaeum, aut Lebbaeum.

**N**Vnc vis Thaddæus, modo vis Lebbæus, Iuda,  
Dici recepto nomine  
Alterutro; nec enim nomen contemnis Iudæ,  
Confessionem quod sonet  
Numinis ætherei, diuersam nomine ab illo  
Quod inquinauit proditor,  
Florem hominum perdens blanda sub imagine amici,  
Falsaque fraude tesseræ.  
Nam quanta Armenius circundat pascua Tigris,  
Euphratis alta & flumina:  
Non tibi magna fatis portanti nomen Iesu,  
Salutis & mysterium.  
Intima nam Ponti, penitus sedesque repostas  
Prouis, & gentem asperam  
Doctrina informans subigis, monituque salubri,  
Ditissimis successibus.

At ne-

## L I B . T E R T I V S :

At neque lente scit gelido mens ignea Ponto  
Ardens salutem publicam.  
Quadrifidum incendis scriptis flammantibus orbem  
Licit tabella perbreui.  
Iudicij magni horrores, faciemque timendam  
Idoneis coloribus  
Pingis, & angelicæ inculcas exempla ruinæ,  
Sodomumq; combustas domos.  
Vnde supercilium ponant, animosq; tumentes  
Planè gigantæm genus,  
Osores veri, perfida fronte negantes  
Patrem, Patrisque filium,  
Ventris mancipia, & Veneris, mercédis auari,  
Numi nitentis aucupes,  
Ventosa inflati sophia, cœlestium inanes,  
Auræ leuis ludibria:  
Quales huc illuc, rapiantur in æquore fluctus,  
Minimoque momento cadunt.  
Qualia disparent errantia sidera, nullo  
Post hæc sui vestigio.  
Qualis & assurgat ramis viridantibus arbor  
Denso petens cacumine  
Tractus aëreos, quæ flore, & fronde caducis  
Spem ludat aspectantium.  
Tales nos hodie, numero exundante, videmus,  
Duro nimis spectaculo,  
Qui pia quæque alijs, qui religiosa crepantes  
Dictis hiuant inanibus,  
Virtutis vacui, ficto qui pectore cedes  
Coquunt, ferunt incendia,  
Exitium in præcepse, discipulosque datuti  
Gregis sacri dispendio.  
Hæc benè prædicti, supero quæ despicias axe,  
Labentis in mundi exitum.  
Respicie nos, precibusque tuis tutare, ruinis  
Et nos pauentes surripe.

Epistola  
vnica Ju-  
da.

## HYMNVS 18.

*IN D. SIMONEM APOSTOLVM, SEP-*

*Simeonem, qui & Cananans à Cana Galilea, sine  
Zelotes Gracis inscribitur, Iacobi mi-  
noris & Iuda frater, pater  
Cleopha.*

**D**icite, quis? Simeon Zelotes. Quo genere ortus?  
Dauidis è stirpe inclyta.  
Etas quæ? Centum, lustris cum quattuor, anni,  
Traianum adusque Principem.  
Et quæ conditio? Septemplicis ostia Nili  
Mirata sunt Episcopum.  
Accepit Solymos, sublato fratre, regundos,  
Non fratre Iusto iniustior.  
Multæ senem circumueniunt incommoda, rixæ,  
Fraudes suorum ciuuni.  
Quod crimen? pietas nullo vincenda labore,  
Pœnissue longi carceris.  
Quis tandem vitæ exitus? ardua roboribus crux  
Absumit annosum senem,  
Non sine cordolio populi, nec Iudicis: at non  
Parcit sibi fortis senex:  
Tantus amor mortem morte expressissè magistri,  
Crucem & cruci reponere.  
Vix moritur, viuit medio vel' funere, Christus  
Cui viuit alto pectore.  
Si tibi, sancte senex, vita, & mors aspera, dulcis,  
Quæ non beato dulcia?  
Mollitiem hanc nobis, ô dux invictæ, supinam  
Et deprecare inertiam.

HYM-

## HYMNVS 19.

*In D. Matthiam Apostolum.*

**P**ro merito infelix abeat, quò dignus, Iudas:

Aëra polluerit,  
Cælo, solo, sibi grauis.

At tu sume locum decussi è sede, futurus

Proximus vndecimo,  
Dei probatus calculis.

Fors tibi non sortem dedit hanc fortuna, mouetur

Numinis vna manu, &  
Æquissimis arbitrijs.

Et tibi iustitiae quæ desit portio? iustum

Si statuente Deo,  
Post terga linquis Barsabam.

Ergo instas operi, spartamque interritus ornas,

Intus agente Deo,  
Fandi que dante copiam.

Multa fidem dictis faciunt miracula: morbi

Vndique diffugiunt,  
Diræque pestes Tartari.

Rumpitur inuidia Iudæa: repente sacerdos

Ore, animisque tumens  
Accersit ad se Matthiam

Magnæ infraetorem legis: tum gutture rauco

Acriter increpat  
Noui satorem dogmatis.

Congesta at temere in Christum conuicia non fers,

Præfulis inque caput

Liberimè dicta aurea

Mox veterum regeris, quæ sensu diuite, verbis

Irresolubilibus

Christum Deum pronuntient.

Præful ad hæc tantum prægrandi ex aggere faxa

Torus, & ore minax

Q 3

Intentat,

## H Y M N O R V M

Intentat , vltimam & necem.  
 Ergo quod adiecta silices non grandine prestant,  
 Vnica fulmineo  
 Securis iectu perficit.  
**Sit tuus** hic finis,tibi meta nouissima vitæ,  
 Quem legit astripotens  
 Sacro cooptandum ordini  
**Bissenum**, censura manet quos totius orbis  
 Conspicuos folio,  
 Die suprema , Iudices.  
 Scimus at hanc lucem præuerti posse : Patrono  
 Nunc licet esse tibi:  
 Causam tuere supplicum.

## H Y M N V S 20.

IN D. M A R C U M  
Euangelistam.

**Q** Vidni probemus, quæ benè scripseris  
 O Marce, Petrus quæ sua comprobet  
 Doctor tuus, formans Quirini  
 Sollicitam moderaror vrbem?  
**G**rata est honesti sedulitas pio  
 Furti magistro, non sine Numine  
 Dictante factum ne recuset  
 Discipuli studio libellum.  
**C**onclusus arcto quamlibet is volet  
 Mensu, cauum implens vix satis & manus,  
 Quò non penetravit locorum?  
 Quæ caret ora tuarum opum vi?  
**T**u-ne ille, quicum diuidit inclytus  
 Cephas labores, sollicitudines,  
 Quæcunque tellus & pericla,  
 Quæque ferunt vada falsa ponti?  
**S**pectata Marci plus satis est fides,

Vitæque

## L I B . T E R T I V S .

Vitæque rectæ iam stabilis tenor,  
 Et certus ordo , sacra mentis  
 Integritas, animusque constans.  
**V**isenda sunt septemplicis ostia  
**A**uctore Cepha, fluminis, & Pharos  
 Index salutaris, profundum  
 Fluctuagis ratibus secanti.  
**V**isenda Memphis Pyramidum situ,  
 Et fastuosis turgida sumtibus:  
 Ast vrbs Alexandri secundis  
 Expeditur tibi prima votis  
 Ut mercibus differta, vel artibus  
 Prædiues vtrisque Emporium patet,  
 Vtrumque visum est indigere  
 Diuitijs, Sophiaque Marci.  
**M**ercator opportunus huic ades,  
 Inferre promptus multijugas opes:  
 Qualis quies mentis serenæ,  
 Sobria mensa, animus pudicus.  
**A**ccedis idem doctor idoneus  
 Non voce viua tradere segnior,  
 Quam perbreui Christum libello,  
 Sed merito potiore vitæ.  
**A**tqui duobus perficere id nequis  
 Lustris: decembres namque adimit duos  
 Qui protrahit tete per vrbem  
 Funeris accelerator vncus.  
**V**irtutis hæc sunt præmia: sed Deus  
 Sic vult profuso dogmata sanguine  
 Signata, qui Christi pepercit  
 Nec roseo Genitor crux.  
**Q**uod restat vnum , supplicibus faue  
**C**œlo receptus, qui tibi credimus  
 Conscripta, quæ cœlis renato  
 Christigenæ pariant salutem.

HYM-

Nihil sci-  
licet.

*In D. Lucam Evangeliorum.*

**Q**ui volet, extollat picturæ nomine Lucam,  
Siue rei medicæ  
Cognitione, manum non vertero, quum sit utroq;  
In genere eximius.  
Christiparæ siquidem melior quis pingere dotes  
Virgineumque decus?  
Quis magis appositè Christum depingat Apelles,  
Quoque colore notet?  
Humanos alii effingant in imagine vultus,  
Oribus ora, manus  
Aptantes manibus, simulantes membraque membris:  
Reddere formam animi,  
Obque oculos habitus animi posuisse latentis,  
Hoc opus, hic labor est.  
Quattuor ista viris liceant, quos inter honestum  
Iure tuere locum,  
Maxime vir, Luca, medicis nec corpora succis,  
Fessaque membra leues.  
Feruet avaritia, miseraque cupidine pectus,  
Perfurit igne iecur,  
Vocibus hæc certis restinguere incendia, & æstus,  
Dexteritate tua.  
Namque tenes aditus molles in pectus opacum.  
Postulat æger opem?  
Desidia torpet? fulci, solare dolentem.  
Multæ tibi antidotus,  
Suppetit ars, longa experientia, multus & usus;  
Iuge tibi studium est.  
Qui mores hominum nosti, geniosque locorum,  
Temperiemque animi.  
Te quid enim Paulus cælet spatiatus olympos?  
Cui comes affidus

Hæsisti,

Hæsisti, socius terraque, marique laborum,  
Pars bona consilij:  
Solus sæpe comes, flagrat dum cæca Tyrannis.  
Nam neque te sequitur  
Nec remoratur iter proles suiscepta, nec uxoris  
Obsequijs, precibus,  
Blanditiis, fugisse torum tibi cura iugalem,  
Vnguis a teneris,  
In senium extremum, metam properantis & æui.  
Hospitis ipsa sui  
Interea aduentu, & fato Bithynia foelix,  
Nec pietate minus.  
Mordicus illa tenet doctrinam tempore longo,  
Contumulans cineres.  
Nos igitur comitem merito te carmine Pauli,  
Corporis, atque animi  
Prosequimur medicum: ciuem sed nunc mage multo  
Sidereum canimus.  
Quidquid agas, agè nostrorum miserere laborum,  
Et medicare animos  
Corpore in infirmo, ut ciues post fata, supernis  
Ciubus annumeres.

*IN D. BARNABAM APOSTOLUM supernumerarium.*

**T**V contemtor opum, sed quas non, Barnaba, iactes  
In mare, Christicolis  
Magno futuras usui,  
Tempore quo Solyma conclusos vrbe sodales  
Unica mensa aluit,  
Idemque fecit Spiritus.  
H. scilicet rudimentis increvit splendida virtus  
Indigenæ Cyprii,

R

Nullis

## H Y M N O R V M

Nullis onusti sarcinis,  
 Non pera, aut baculo, numo aut fulgente, molestis  
 Sollicitudinibus,  
 Non laxi aluta calcei;  
**N**e qua mora ad sacri tibi sit præconia verbi,  
 Cui Deus, atque Dei  
 Te destinavit Spiritus.  
**H**oc, fratrum columen, Cephas, hoc concio tota  
 Peruidet Antiochi  
 Quæ credit vrbem Barnabæ,  
**C**uius non minuat celebrem præsentia famam,  
 Augeat at grauitas,  
 Vitæque sanctimonia.  
**S**uccessus teneræ arrident pietatis, & omnes  
 Alloquijs grauibus  
 Hortaris ad constantiam.  
**A**ccitus tibi Paulus adest, iamque annus abiuit,  
 Quo noua religio  
 Fœliciter progerminet  
**P**rimos Christiadas, qui Christi è nomine nomen,  
 Et titulum accipient,  
 Auctore Paulo & Barnaba.  
**I**am certare pares, mortemue subire, relictis  
 Moenibus Antiochi,  
 Terras aditis exterias.  
**Q**uod mare, quas vrbes non cura, laborq; duorum  
 Intrepidè aggreditur,  
 Christi inferens mysteria?  
**E**st vbi miraclis libet inclarescere, fertis  
 Horrida faxa alibi,  
 Mortem minisue proximam.  
**E**st & vbi, (ô dolor) oblatos ambobus honores  
 Vix licet effugere,  
 Vt Iupiter sis, Barnaba,  
**M**aiestate grauis : dux interpresque Deorum,  
 Nobilis eloquio  
 Paulus, velut Iouis comes.

Quid

**Q**uid, quod & inter vos gliscit discordia? Paulum  
 Abripiente Deo  
 Ad dissitas oras procul.  
**N**empe solo tenatali vult reddere Numen:  
 Te vocat alta Cyprus,  
 Partusque vindicat suos.  
**I**lla tibi solis dedit aspectabile lumen:  
 Tu dare perpetuum  
 Lumen memento patriæ,  
**In** patria cæsus, patria tumulatus arena,  
 Peste, Nerone, hominum,  
 Tenente regna Cæsare.

## H Y M N O R V M

## LIBER QVARTVS.

## H Y M N V S . I.

**S**iccine nos molli distendat inertia lecto?  
 Aut semifomnes fascinet  
 Luxu, delicijs mille illæcibrofa voluptas?  
 Amorque vitæ labilis? (nos,  
 An-ne ea Nestoreos si producatur in an-  
 Caritura fixo limite est?  
 Ilicet ad metam veniendum, nec prece mortem  
 Fas est cuiquam auertere,  
 Nec pretio: Non si decurrant flumina gemmis,  
 Agantque arenas aureas;  
 Quum mors letiferis cor figit auara sagittis,  
 Fatalis horæ eluserint  
 Momentum: quin, nos debemur, vt omnia, mortis:  
 Aut abdicatis omnibus  
 Debemur potius, quod circuit omnia, cælo,  
 Quod Christus athletas vocat

Emensus stadium, per quælibet aspera, vitæ  
Ne quis recuset casibus  
Iactari variis, post tristia fata Magistri  
Præeuntis arduam in crucem,  
Sicque viam cælo sternentis. Scilicet hausto  
Dei sodales Spiritu,  
(Petrus in his) hilares retulerunt nomine Christi  
Accepta retrò vulnera,  
Hac tirocinijs meditantes sorte cupitam  
Ardentibus votis necem.  
Hinc alij, atq; alij certatim exempla sequentes,  
In mille fusi millia,  
Fortiter opponunt oblatæ pectora morti,  
Interriti rogalibus,  
Inuicti flammis, laqueo, dominæq; securi,  
Fluvio, marinis fluctibus.  
Miror, Apostolici nemo quod pñmè senatus  
Sicco exitu vitæ cadit.  
Exime Ioannem, quem non feruentis oliui  
Stridens ahenum sustulit.  
Bissenos inter proceres Iacobus honorem  
Palmæ necatus arripit  
Herodis gladio. Sparsi toto orbe sodales  
Fatis eisdem concidunt.  
Ecquis enim Domino violenta morte cadenti  
Ægrè rependar sanguinem?  
Gens mea, macte animo, hostiles perrumpe phalangas;  
Vænale cælum est sanguine.

## H Y M N V S 2.

*In D. Stephanum.*

F Este nouæ Stephano decus immortale coronæ,  
Agmina cælitum;  
Nouoque ciui plaudite.  
Nos manibus sacris raptæ ramalia palmæ

(Si lice-

(Si liceat) dabimus,  
Et prosequemur carmine  
Illustrem pietate virum, signisque coruscum  
Vix numerabilibus,  
Rem promouente Numine.  
Virtutis comes inuidia est, ceu solis & vmbra:  
Litigiosa manus,  
Vis instat ardens hostium.  
Dissecti sectis, vno tamen, ecce, feruntur  
In Iuuenem studio.  
Cudunt in inuisum caput  
Crimina, qui Libertino se nomine iactant,  
Qui Cilicum arua colunt,  
Afæ & patentis iugera,  
Vrbs & Alexandri quos educat alta magistros:  
Fertilitate soli,  
Florensque Cyrene viris.  
Hos par liuor habet, par deinde insania victos  
Diuitis eloquij.  
Exuberante flumine,  
Dante Dei inuictum præsenti numine robur.  
Nec mora: Pontificis  
Mox ad tribunal sistitur  
Innocuus, falso cumulandus criminè, Mosis  
Legiferi placita  
Quod audeat conuellere,  
Excidiūmque sacris fando minitarier aris.  
Diluit hic facile  
Obiecta: dehinc plenus Deo  
Fundit ab antiquis repetita oracula chartis.  
Claret eis feritas,  
Gentisque peruicacia  
Obluctata Dei sæcla in nuperima iussis,  
Non sine sanguineis  
Vatum piorum cædibus,  
Sæua Redemptoris venturi fata canentum.  
Æstuat igne iecur.

R 3

Verissima

Liberti-  
ni.  
Cilices.  
Alexan-  
drini.  
Cyrenæ.

Verissima auscultantibus.

**R**ingi omnes, & distorto stridentibus ore

Dentibus exitium

Tiux apparare innoxio.

**T**um citius, iunctum dextræ considere Iesum

Quum iuuenis patriæ

Cælis reductis perspicit,

**S**saxa furor, saxa ingeminat: ruit aspera grando

In caput, inque humeros,

Totam per urbem, innoxij.

**V**entum extra muros. Reus hic spoliatus amictu

Vota, precesque Deo

Pro parricidis nuncupat.

**N**eç prece, nec voto desistit supplice, dum mors,

Dumque strues lapidum

Vocem obruto præcluserint.

**E**rgone conticuit Stephani facundia, cuius

Opposita impietas

Vim sustinere non queat?

**E**rgone sic tenues amor ille insignis in auras

Gentis abit propriæ,

Nusquam superstes mortuo?

**H**aud ita: namque minor Sauli facundia non est,

Quam Stephani fuerit

Conclusa terris patrijs.

**L**anguidius post hæc Stephano nec Saulus Hebrææ

Gentis amore calet,

Immò omnium nec gentium:

**Q**ui mare, qui terras superabit præpete cursu,

Vocibus imperia

Qui sparsa longè subruat.

**T**alem, Diue, tuum post te qui munus obiret,

Morte tua, & precibus

Ecclesiæ lucratus es.

**A**nnuit hoc superis viuo tibi-Christus ab astris,

Dum pedibus tereres

Terram: tuipse nunc videns

Sub pedibus cœlum, si te mortalia tangunt,

Supplicibus famulis

Quid non facillimè impetras?

**A**spice quæ cingant nos infortunia. bellis

Addita bella, famæ,

Pestis male contagium.

**H**ostis homo est homini lupus, indignatio, luctus,

Perniciosa famæ,

Pestisque longè pessima.

**H**ostibus, & nobis veniam fas poscere : pacis

Munera (dexter ades)

Agris & aris poscimns.

Martinianum Romæ passos, unâ cum quadraginta

nouem alijs, qui vincitos afferuabant Petrum & Pan-

lam Apostolos, sub Nerone.

**N**on opis humanæ est cœli explorare profunda

Consilia, & cœcas rerum vario ordine causas,

Quas Pater omnipotens caligine condidit atra

Semotas oculis rimantum, & pectore tardo.

Quis rem Christiadum non iudicet euertendam,

Sceptra fero, infandum, Romana tenente Nerone?

Principe iam Cepha, Paulo iam principe captis?

Ilio atque hoc pariter Tarpeio carcere vincitis?

At non deteritur quidquam, sed Numine dextro

Incrementa nouo capit, & magis vbere fluxu

Ex vrbe vndantes properans educere riuos,

Queis hominum latè sipientia corda rigentur;

Quà Domina, & victrix Roma vndiq; prospicit orbem,

Nobilior Christo, quam Marte futura feroci.

Ergò per id tempus primùm imbibit aula Neronis

Dogma salutiferum, nec vincula dira veretur

Illius, aut huius vinciti, pro tempore tantum

Indomiti ludens vim, sequitiamque Tyranni.

Non minus est mirum , custodes carcere in atro  
 Suffectos, latrociniis, & cædibus olim  
 Assuetos, visu, mutata mente, prioris  
 Militiae fôrdente, duci dare nomina Christo.  
 Miraculi nouitas id factum longius effert,  
 Riuis aquæ dulcis tenebrosi è cautibus antri  
 Sponte fluens, sacro quo rite in fonte lauetur  
 Custodum populus, numero excedente piorum  
 Quadraginta animas : rapiuntur de grege bini  
 Ad pœnas, & supplicium crudele, nec vnum,  
 Nec solitum visu. Contunditur unus, & alter  
 Ora graui saxe, confractus decutitur dens.  
 Post stridunt fustes inficti corpore toto :  
 Ad mortæ exussere faces manantia tabo  
 Membra. Deo sit laus semper, vox vna duobus.  
 Quid faciat pœnae victus certamine prætor?  
 Surreptos oculis ambo si nisi in antra retrudat?  
 Supplicium si forte nouum procudere possit.  
 At nihil interea succedit ; forte timetur  
 Permotura virum viætrix patientia turbas  
 Notior in pénis , queis testarentur Iesum.  
 Post aliquot luces censem consultius vnum,  
 Vertice truncari Romæ extra mœnia raptos.  
 Huc igitur tandem processerit inclita virtus  
 Processi, & rapido se tollat ad astra volatu  
 Qui nomen de Marte trahens, & passibus æquis  
 Æquo magnanimus depugnat Marte sodalis.  
 Quinquaginta alios minus uno, cernere dulce est,  
 Cælitus accensos animose occumbere Christo.

## H Y M N V S . 4.

*In Geruasium, & Prothasium Martyres.*

**Q**uis sinat indictos memorando carmine fratres,  
 Quorum latere noluit  
 Numen reliquias, vel post tot saecula? tu, tu

Dignus

## L I B. Q V A R T V S.

Dignus repertor Ambrosi,  
 Sancte pater, ruis effuso qui rudere gemmis  
 Condenda, & auro corpora.  
 Tu testis locuples, donatum lumine cæcum :  
 Testis fugandos Dæmones  
 Corporibus, cælum tetro feruisse vulnatum,  
 Clamare se torquetier  
 Durè habitos, prece Diuorum : queis Numen olympi  
 Tantum suæ potentia  
 Indulget, tacto leuiter modò tegmine, pestes  
 Abigant ut omnes corporum.  
 Qui latuere, tuo se produnt tempore Diu.  
 Madere tumbam sanguine  
 Testaris memori scripto, cum voce diserta,  
 Quidquid tibi fex obstrepat  
 Hæreseon, tibi martyrij cognoscere dulce est  
 Certas triumphales notas  
 Corpore in amborum procero, qualia priscis  
 Ætas dedisse traditur  
 Corpora, non mensu, quo decurtamur eodem,  
 Lapsus sub horum temporum.  
 Aspergas auulsum humeris caput, vndique signa  
 Parti triumphi congruunt.  
 Commeminer lenes, titulos, & nomina Diuum  
 Geruasij & Prothasij,  
 Quos germana fides concordi fœdere cælo  
 Pares colonos extulit.  
 Horum, plumbatis lacreatus corpore loris  
 Prior, diem nouissimum  
 Clausit, posterior contusus fuste, secundum  
 Collum securi præbuit.  
 Egregij fratres & vita, & funere, vtroque  
 Digni parente liberi.  
 Vrbs videt, à media quæ dicit nomina lana,  
 Matris necem Valeriaz.  
 Vitalem, vitam stupet effusisse Rauenna  
 Multo Patrem cum sanguine.

S

Si pater

*Si pater & mater pro Christo occumbere gaudent,  
Sint moliores filii:*

## H Y M N V S 5.

IN NAZARIVM ET CELSUM P U E R U M  
*Synchronos Geruasii & Prothasii sub Nerone.*

**C**Vi calcare viam tergo mare dat, male tutum  
Plerumque firmis nauibus?  
Nazario, qui delicias nihil esse putauit,  
Et clara gentis stem mata.  
Monstra Deum siquidem ridet constanter in aula  
Neronis impiissima.  
Fœlix, proposito quenam non pater Ethnicus, alta  
Auctoritate demouet:  
Fœlix, qui monitus haurit sub matre salubres,  
*Linus* Liniq[ue] lustratur manu:  
*Papa.* Qui gressus quoconque ferat, noua sacra per vrbes  
Christo calens disseminet.  
Dijis Nero multa timet falsis incommoda ab vno,  
Vndisque poscit obrutum.  
Horret atrox factum pelagus, cursuque secundo  
Tellure ponit hospitem  
Saluum, ac incoluem, nautarum cum grege: vector  
Hos elucratus est Deo;  
Ceu puerum post hæc, diuerso tempore, Celsum  
Fœlicioris nominis  
Omine, & augurio, vitæque, viæque sodalem  
Exercitum laboribus,  
Mortis & extremo ob Christum certamine, secum  
Ad alta tollit sidera.

H Y M -

## H Y M N V S 6.

*In D. Timotheum Martyrem.*

**P**Vbentem roseis Timotheum genis  
Magno Tarséidæ credere quis queat  
Curarum socium, & difficilis viæ  
Rerum pondere maximo?  
Scimus Tarséidæ magnanimo duci  
Collegam vnaminem Timotheum, cui  
Ætas canitiem, flotique puertiae  
Æquet conilio graui.  
Hausisse à teneris sensa rei sacræ,  
Præmansosque cibos, matris ab vberè,  
Et lac elicitum iungere amoribus  
Christi, non fuerit leuis  
Momenti, genitrix hoc pia prouidet,  
Christi nectareis vocibus imbuens  
Pectus filioli, non auiae pio  
Hortatu sine Loïdos.  
*Löis.*  
Et sic feminea discipulo rudi  
Accrescit pietas sollicitudine,  
Dum laudes iuuenis Lystra loquax canat,  
Ciuem suspiciens suum.  
Hac cum fortè tenens Tarséides iter  
Dat circum Iuueni colla agiles manus,  
Fidum, indiuiduum te comitem (adijcit)  
Mi, quem nuntio, destinat.  
Tecum diuidere, & dura sequi velim:  
Tecum viuere amem, tecum obeam libens,  
Quo me cunque loci, per mare per solum  
Regnator superum vocet.  
Noster fit nihilo seignior: at neque  
Ritus legitimos gentis Hebraicæ,  
Lux Euangelij dum noua creuerit,  
Præfecta renuit cute.

S 2

Iuit

Iuit Tharseidæ discipulus comes,  
Nec post terga focos, nec patriam aspicit,  
Acer sub creperis ducere casibus  
    Vitam, ponere & impiger.  
Gaudet discipuli doctor & indole,  
Audet Pontificis credere munia  
Spectatæ fidei, & coepita Epheso super  
    Demandare vicario.  
Iam res nil minus hic, quam iuueniliter,  
Pastor siue domi, siue foris gerit;  
Ciuii grauitas mista modestiæ  
    Commendat iuuenem seni.  
Solaror miseris, terrificus malis,  
Vindex est scelerum, cuique pio pater  
Et cultus, alius quam sibi mitior,  
    Indulgens minimū sibi.  
Morbis quotidie quidquid edacibus  
Carpatur, modici delicias meri  
Crudo vix stomacho dat male, flexibus  
    Pauli, vel monitu Patris.  
Mirum sit mage, quod, res vbi id exigit,  
Ægris auxilium, dante Deo, ferat  
Luci restituens exanimes, opem  
    Vni ferre sibi impotens.  
Hec incommoda fert peccore masculo  
Bellator rigidus, vim faciens sibi,  
Mœsto ne assiduus corde dolor leuem  
    Extundat querimoniam.  
Sanctum Pontificem discruciant modò  
Noctes, atque dies, numina Cynthiæ  
Ficta, & culta Epheso; quæ propriæ ardeat  
    Vitæ extincta periculo.  
Et iam lux aderat, qua populus furens  
In cultus celebres vndique proruit:  
Clamat, magnificis laudibus euehit  
    Numen sculptile Cynthiæ.  
Iram Pontificis iuste acuit dolor

Permitus,

Permitus, neque se iam capit. irruit  
Audax in medios: ponite, cæca gens,  
Surda hæc numina, perdite.  
Mox ut quisq; virum est improbior, petit  
Saxis innocuum, præcipitat necem:  
Christi gens melior seminecem rapit  
    Montis sub iuga proximi.  
Illic mortem alacris vir pius excipit,  
Commutatque plagis sidereis solum  
Seu dira silicium grandine, seu magis  
    Rubri flumine sanguinis.  
Pauli sic decuit discipulum mori:  
Sic Christi pugilem occumbere, qui pigris  
Ch. isti discipulis mollitiem, altius  
    Et sterentibus expobret.  
Quanquam te petimus viscera per tui  
Christi, Christicolas vt malè desides  
Pastoreisque gregis dissimiles tibi,  
    Exemplo, & precibus, iuues.

## HYMNVS 7.

*In D. Titum Cretensem Episcopum.*

ET cur te tacitum præteream carminibus, Tite,  
ET tam multiplicis militiae turbine nobilem?  
Debellanda tibi Creta data est, bestia quam mala  
Vir mendax habitat, quo numero est hærefoes fator,  
Monstrari digito cui volupe est prætereuntium,  
Ventriss cui comes it mancipium, cui comes it Dei  
Irrisor lepidus falsiloqua sub specie probi.  
Præsto plurimus est, qui rigido peccore contumax  
Vim regum gladiis, imperij & fascibus abroget,  
Extremam reuehens vrbibus & perniciem, & chaos.  
Vnum Tarsëides omnibus his opposuit Titum,  
Cuius Pontificis sedulitas subsidiariis  
Vla presbyteris, aduigilans quæque per oppida

S 3

Tantum

Tantum fortis animo, & continua sollicitudine ef-  
Fecit, montiuagos circuitus totius insulæ  
Ut Christi imperii, & fidei subiiceret iugo.

Iam vallesq; cauæ, iam recinunt culmina montium  
Christi Euangelium, funus atrox, vulnera hiantia,  
Surgentisque nouo de tumulo conspicuum decus,  
Euecti & superum, more nouo, templa per aurea.

Hic unus labor est, hoc opus est, hic amor est, Titi  
Carpens molle iecur, florem animæ dum rapiat semel  
Haustis visceribus, purpurei fonteque sanguinis  
Extremum rapidis, exanimemque injiciat rogis.

Quid tum, si laqueus, si gladij, si violenta mors  
Vitam si cito mors pontifici non rapiat Tito?  
Jugis Martyrii laus, & honor iure negabitur?

## H Y M N V S . 8.

**D. DIONYSIVM AREOPAGITAM**  
*Atheniensem Episcopum, ac postea Gal-  
lorum Antistitem.*

**C**lues Lutetiani  
Quid prodigi videtis?  
Quisnam Lutetianum  
Hospes solum pererrat?  
Ceruice quis viator  
Iuit viam resecta?  
Immò caput resectum  
Præfert vrisque palmis?  
Hic ille, qui minaces  
Non horruit tyrannos:  
Qui flagra, qui nec enses  
Refugit intueri.  
Ut gestatos honestum,  
Specabile, & seuerum,  
Vir eruditione,  
Magnaque gente clarus!  
Apud suas Athenas

Ius dicere est suetus:  
Ius, formulasque veri  
Præscribit, ecce, Gallis.

Asserter ergo veri  
Nec imminente fato,  
Nec fata post, veretur  
Verum suis profari.

Miremur anne viuo  
Discissa terga loris,  
Cui roris instar vdi est  
Inflicta pena quævis?

Miremur igne rostum,  
Cui Christus, ignis alter  
Incendio priori  
Præuertit vstitutionem?

Quid hoc? euntne bini  
(Hic Rusticus, simulque  
Sortem sequax in omnem  
Eleutherus) sodales?

Antistitem necesse est  
Grauem, pium, fidelem  
Ducem præire penitus,  
Nouissimæque morti.

Quibus modis Iesus  
Domum Patris subiuit,  
Vicarios eiusdem  
Christi, subire pareat.  
Edocta turba dictis,  
Et innocentia vita  
Ductoris, & cruento  
Cur subsequi grauetur?

Par mordicus teneri  
Per sæcla mille verum,  
Quod vanniit labore,  
Quod constitit cruento.

Gens Christiana, sacrum  
Tuere dogma Christi,

Quan-

Quantumlibet seniles  
Vergente mundo in annos.  
*Ad Lute  
tianos.*  
Cives Lutetiani,  
Durate, state pactis,  
Quæ præsul iste vester  
Ore, & crux sanxit.  
Scit dirutas Athenas  
Nusquam eminere: visis  
Atheniensis hisce  
Fauet nouis Athenis.  
Sacros ab urbe vestra  
Non vertit ille vultus,  
Ad astra vos vocantem  
Sectamini magistrum.

## H Y M N V S 9.

*IN D. LINVM MARTYREM,  
secundum à D. Petro Pontificem.*

**A**nnum, cives, reuocate carmen:  
Natus Etruscis Linus, altus oris,  
In vias sacra redimitus exit  
Tempora vita.  
Alter à Petro, metuendus orci  
Pestibus, si fors aliquem Quiritum  
Hospites sœui nimium fatigent,  
Urbe fugandis,  
Orbe vel toto, siquidem licebit  
Præsuli, cui nec graue sit sepultos  
Ad nouæ solo reuocare iussum  
Munera lucis.  
Hæc foris: præclara domi minus nec  
Tractat, in sudans studiis, cauensque  
Nepios coetus adoperra nullo  
Fœmina velo  
Intret. At iugis labor est, labores

Maxim

L I B. Q V A R T V S.  
Maximi scriptis celebrate Cephæ,  
Et magi insanas memori libello  
Prodere technas.  
Hic piæ cursusque, tenorque vitæ  
Congrua morte excipitur: secunda  
Namque pro vera pietate præbet  
Colla securi.

Diue, sis felix, venerande, Cepha  
Digne successor, cineresq; Cephæ  
Proximè effosso, perhibente Roma,  
Digne sepulcro.  
Plaudis æternos melius per annos  
Iunctior, cæli regione, Petru,  
Quam det ambobus geminum sepultis  
Terra cubile.

## H Y M N V S 10.

*In D. Cletum Papam Martyrem.*

**Q**ui magistratum petit, ille dignus  
Haud magistratu: fugientem honoris,  
Laus, honor, certo vehit, atque clarat  
Gloria curru.  
Diue, te talem canimus, Lino qui  
Suffici coustantis renuis, frequenter  
Impares artus populis professus  
Esse regundis.  
Attamen Clementis adis suasu  
Præsulis summi varios labores,  
Commoda & multa statuis, reuellis  
Noxia multa,  
Ergo vicenis (superaddo quinos)  
Rem sacram firmas senibus creatis:  
Fixa nam Cephæ tibi adhuc inhærent  
Pectore verba.  
Viuit, & crescit pietas modesta, &

Spem

145  
Simon  
magus.

146 H Y M N O R V M  
Spem fides, fidumque ciens amorem:  
Indies magno subolefecit austu  
Natio Christi.

Cernis, exultasque nouis subinde  
Foetibus diues genitor, nec horres  
Pro tuis ensi caput amputandum  
Subdere natis.

Sic mori, non interiisse credis,  
Credis haud falso. Pie Clete, vive.  
Sic mori, vita est, tua vita Christus  
Nescia mortis.

### H Y M N V S . II.

IN CLEM EN T E M P A P A M  
*Mariyrem, Roma in Cælio monte  
natum.*

Q Vem virum Petrus superas ad arcēs  
Euolaturus, sibi vult secundum?  
Quem pater mandat dominum suprema  
Sede locari?  
Te, tibi, Clemens nihil arrogantem,  
Ex diu nota sibi tot tuarum  
Mole virrūtum, titulo, simūlque  
Pectore mitem.  
Arbiter quō terrigenūm futurus  
Sontibus fassis malefacta, pastor  
Lenis ignotcas, reserelque magni  
Limēn olympi.  
Ambitus terram bene curiosus  
Sedulo vitas, refugisque labem,  
Qui Linum præfers tibi, & in sacrata  
Munera Clerum.  
Ergo nunc prodis, & onus capeffens  
Digna te præstas, studiisque doctis;  
Quod doces scripto vberē, voce viua  
Tradere fœlix.

LIB. Q V A R T V S .  
147 Tu rudes formas, retinens cadentes,  
Erigis dicto, stabilisque lapsos,  
Omnibus gratus, metuens cuiquam  
Deesse tuorum.

Displices tantum Latij Tyranno  
Gentis immensæ numero magister:  
Exili mulctam tibi, sed mouente  
Numine dicitat.

Mille bis nam Christiadæ metallis  
Ante damnati, repetunt Parentem,  
Ora queis, monstrante Deo, salubri  
Fonte rigabis,  
Artifex potu recreate solers  
Corda vitali, & dape sempiterna,  
Et prius Christi catus esitandum  
Promere panem.

Turba quo per te vegetata pastu  
Exul in felix adolescat æcum,  
Saxa pérque aspra, & caua germinante  
Prodga fētu:

Audijt Cæsar, tulit & molestè  
Exili enatam sobolem feracis,  
Quæ Redemtoris titulos ad astra  
Tollat Iesu.

Iusta verò causa odij est, & iræ  
Principi, cuius scelerata iussu  
Ancora ad collum religata mergat  
Æquore vasto  
Exulis sanctum populi parentem.  
Hoc Deus stulto dederit furori,  
Cælio qui monte satum, recepit  
Vertice cæli.

T 2 HYM

Tu rudes

IN D. IGNATIVM MARTYREM,  
Episcopum Antiochensem, à Petro tertium.

**I**Te leues, rapidi, impasti prodite leones,  
Erumpite è specu horrido, prorumpite.  
Vos præda ipsa vocat, vestros cupidissima rictus  
Explere vult, & triduanam vel famem.  
Afflectit caput, atque humeros, & brachia tendit,  
Mandenda vobis acer offert pectora.  
**I**gnes, atque cruce, laceros crudeliter artus,  
Quodcunque pœnæ rector orci suggesterit,  
Expetit: ingluuiem vestram, rabie mque ferram  
Sistit timet, proflumque vos mansuescere.  
**T**ollite rugitus diductis faucibus, orbis  
Quos expauescant totius quævis feræ.  
**H**ic noster pede stat fixo, stat fronte serena,  
Et usque longas increpat necis moras.  
**E**n ego far Domini, me mox pascetur Iesus  
Trito, & subacto bestiarum dentibus.  
**T**unc ego diuinis, Cereris ceu munera, mensis  
Dignusque Christo panis inferar meo.  
**M**ortalis vox hæc hominis? mortemque timentis?  
Non: morte maior, maior hic mortalibus,  
Qui Christum resonat, torus qui spirat Iesum,  
Qui mortem acerbam consecrat Christo suo.  
**V**ritur; æthereæ sunt hæc incendia flammæ  
Correpta Iesu percoquente viscera.  
**S**cilicet ignitus Ignatius, igneus intus,  
Exæstuans amore deflagrat Dei.  
**T**orpet, & obtusus stupefacto ad funera sensu,  
Nil sentiens nisi Deum in præcordijs.  
**O**mibi si partem tanti iaculetur amoris  
Amor Patris, calorque cælitum omnium!  
**T**unc iuvet incensum superas volitare per arces,  
Tunc tunc eam in cineres soluto corpore.

IN D. POLYCARPV M MARTYREM  
Smyrna Episcopum.

**V**ixerat extento Polycarpus grandior æuo:  
Conqueritur senium,  
Et turbulentæ tempora.  
Hei mihi chare Deus, quænam me in fæcla reseruas,  
Sollicitudinibus,  
Et tot malis superstitem?  
Barba virum incano decorauerat hispida mento,  
Cæsarie in niuea,  
Sat integris sed viribns,  
Integriore animo, qualem decet hospitis esse,  
Qui celebri hospitio  
Ignatium suscepit,  
Multa viri monitu edocitus, succensus & idem  
Hospitis igne pari,  
Cui mortis iniuria est mora.  
Hærent pectoribus, dudum præceptor amoris  
Tradita discipulo  
Quæ de Deo mandauerat,  
Déque Dei cultu, de Seruatoris amore:  
Hæret Apostolici  
Quod callet vnum, dogmatis  
Hæreseon inter turbas, strepitusque furentum:  
His metus vnum erat  
Iam Christianorum pater,  
Regnatorque Asiae, populis odiosus Hebræis,  
Sculptiliumque Deum  
Stultissimis cultoribus.  
Iam nouies denos pater haud dum exegerat annos,  
Quum furiosa ruit  
Vtriusque gentis factio,  
Præfulsis in mortem confitans, dente ferarum.

## H Y M N O R V M

Pars periisse petit;  
Pars igne comburi altera.

Interitus genus alterutrum non displicet ulli,  
Christiadum numero  
Sanctum virum si censeant.

Injicitur flammis, manibus post terga reuinctis,  
Corpore quantus erat,  
Ætate fessus Pontifex.

Flamma viri corpus sinuoso fornice tantum  
Officiosa tegit,  
Nihil nocens innoxio,

Quidquid alat structo lignorum fomite flamas  
Carnificum feritas  
Ignara conquiescere.

Cui rabies fortasse fuit parsura ferarum,  
Cui fauet umbra rogi,  
Mortem irrogauit spiculo:  
Et sic tergmina tentatus morte, quiescit

Obrutus in senium,  
Labore, Apostolicus senex.

Hæc mors hæreticis animum addit, & addit Hebræis,  
Defore qui reputent  
Veri patronum, & vindicem.

At Deus è cælo coetus fouet usque piorum,  
Et fauet usque suis  
Mundi in ruentis terminum.

Diue, tuo tempus lacrymatus tempore durum,  
His, rogo, temporibus  
Absterge moestis lacrymas.

## H Y M N V S 14.

In D. Anacletum Papam, Martyrem.

D Iue satum doctis te Græcia plaudit Athenis,  
Téque peregrino Præsule Roma tumet.  
Tempora principijs tibi sunt satis aspera duris

Mista

## L I B . Q V A R T V S .

151

Mista, Anaclete, malis, mista subinde bonis.

Nil mouet intrepidum Traiani saeva tyrannis,  
Hæreſeon tollens fertile & Hydra caput.

Orta salutari de Paschate quæſtio torquet  
Pontificem, varijs excruciatque modis.

Attamen hæc summa Polycarpum donat in vrbe  
Cernere, Apostolico cui datur ore loqui.

Ille Valentini male ſanum dogma refellit,  
Pontificis magna non sine lætitia.

Hinc adhibes curas citus, intendisque labores:  
Nil refugis dignum Præſulis officio.

Multa caues veræ pietati noxia, iam tum  
Synceræ facies religionis erat.

Iam ter, credentum populorum examina, certat:  
Detrimenta timet Cæſar & Imperij.

Exscindi latè populum ter mandat, & ipsum  
E medio properat tollere Pontificem.

Fallitur: accrescit duris exercita virtus,  
Luxuriat fuso sancta crux fides.

Dumque polos animæ rapiunt, cæloque, soloque  
Confurgit geminum Christus in imperium.

Confilia æterni sunt hæc altissima Regis,  
Quæ nequit humanus vertere cæde furor.

## H Y M N V S 15.

IN D. L A V R E N T I U M M A R T Y -  
rem sub Decio.

F St mori magnum; meminisse mortem;  
Proximum morti puto: qui velut tu,  
Magne Laurenti, moritur, mori bis

Pænè videtur.

Vriteris viuus, neque flamma subtus

Strata natuos minuit calores:

Christus immissis tibi temperauit

Ignibus ignes.

Vidit

**Babel.** Vedit intactos Babel, æstuante  
Ignibus ternos iuuenes camino :  
Roma Laurentem videt , immo olympi  
Curia tostum.  
Sospites Christi iuuenes fauore  
Liberatori modulantur oden :  
Hic rapit per vim supera alta Christi  
Numine fretus.  
**Cernis**, vt virtus agitata multo  
Splendet attritu ? neque scorpione  
Laſa, plumbatis neque vista loris  
Porrigit herbam ?  
Prouocat pœnis animosa mortem:  
Ludit insultans medios per ignes:  
Ridet immitem; ferit & iocosa  
Voce Tyrannum.  
Quid tuas nares iuuat iste nidor  
Carnium? pasce ingluuiem ferinam  
Carnifex, tardus rapere apparata  
Prandia differs?  
Non opes cælo melius repostas  
Hisce contentus dapibus requiras:  
Ecce giratum latus , ecce crudi  
Optio, & assi.  
Dixit, astantem populi coronam  
Lenis affatur: quid adhuc superstes  
Vrat in pœnias? animam libenter  
Ponere tempus.  
Et magis multò, siquidem nefandos  
Fraudibus regis Stygij reiectis,  
Doctior damnas, pia Roma, nostro  
Funere cultus.  
**Hæc** memor serues monumenta adiusti  
Corporis, si reliquias in vrnis  
Contines, viuus, moriensq; Romæ  
Testor Iesum;  
Illius flamma ( precor igne tostus,

Audiat

Audiat votum populosâ Roma)

Opto succendi, caput orbis, vrbem,  
Rufus & orbem.Vixit, & dixit moriturus igne,  
Igne, Roma, principe, morte maior:Iure Laurentem comitata laurus  
Laude sequetur.

## H Y M N V S 16.

## IN D. IVLIANUM ET EUNVM

*Martyres, sub Decio Cesare.***H**Ei mihi, Cæsareo diuina potentia tantum  
Indulterit furori,

Supplicijs toto quæsitis orbe, ministros

Vt territos Iesu

Vndique disturber, totoq; excludat olympos  
Mortis metu relapsos

Turpiter infandæ cultus in religionis

Thus obmouere mutis

Et surdis adigat simulacris ? sanguine frustra

Christus suo litarit,

Vt gentem eriperet damnatam faucibus orci,

Vt præda rufus orco

Dedatur, Latia regnante tyrannide? num sit

Crudelitatis auctor,

Aut saltem adiutor taciturnus Rector olympi?

Idem pios relinquat

In dubio fractos certamine? Non ita : quidam

Si viribus valentes,

Florentesque æuo, tormenta per aspera, voces

Emiserint profanas,

Et pessum retrogressi ierint, languentia eorum

Loco pater supremus

Corpora substituet sine succo, &amp; sanguine, Chri-

Qui strenue fatentur

( Ne quis causetur iuuenili forte calore

V

Rem state

Rem stare Christianam )

**E**cce autem trahitur, vietus, vetus, obsitus annis :

Ille, ille Julianus

**I**nteger, aspectu venerandus, cæterà diris

Doloribus podagræ

Iam propè confectus, non vsquam tendere gressum

Potens, & alterutris

Iam minimum, & miserè plantis subsistere, quem si

Vel duriuscule quid

**A**ttrectes, malè perdideris, desertur ad altum,

Sella sedens, tribunal.

**V**ana supersticio obijcitur, tormenta parantur

Christum Deum professio

**I**ngenuè, intrepide : mortem expectare iubetur.

Tum voce seruus alter

**A**ddit : hero superas ibo comes Eunus ad arces.

Quid commori recuset

**S**eruus hero, pariter quos accit ab æthere Christus?

Exurite, aut secate.

**D**ixerat .impositus vectatur vterque camelo,

Ludibrio futurus

**P**erfora, per vicos populosæ scilicet vrbis,

Iactare quæ sueta est

**N**omen Alexandri. flagris pia terga secantur,

Donec seni misello,

Et iuueni seruo mors finiat atra dolores.

Pudescat vt tyrannus,

**F**ortiter exangui, & moribundo sub sene, seruo

Liberrimoque vietus.

**S**pectantes populos vt habet stupor, haud sine probro

Spectare sic nequibunt

**C**hristicolaræ refugi: certe hinc accessio facta est

Non parua Christianis,

**D**um ruit ad sacras, factò velut agmine, palmas

Gens destinata cælo.

**E**t quis sedecies, Decio sub Cæsare, mille

Neget petisile olympum?

**I**N TRYPHONE M , RESPICIVM , ET,  
Nymphae Virginem, Martyres sub Diocletiano.

**V**Icine Saxoniæ Tryphon,

Clarissimis natalibus

Non orte, non inglorius

Vico latebis Absado.

Agnosceris facilimè:

Virtus latere nescia

Erumpit in lucem ; suo

Splendore virtus proditur.

Innoxius candor, tuæ

Syncera vitæ puritas,

Flagrans amor Christi tui

Vbique claret gentium.

Raptaris ad poenas truces

Magno metu spectantium:

Pietatis osor ferreis.

Terga exarauit vngulis.

Hoc pendulo factum quidem:

Nunc stare demissum iubent.

Deseruit acrius furor,

Quo dira vincas fortius.

Candente ferro figitur;

Vterque pes, ne tendere

Gressum queas: crudeliter

Hinc fustibus contunderis.

Specaculum miserabile:

Artus madentes sanguine,

Taboque nigro percoquit

Crebra satelles lampade.

Tribunus hanc primum stupet

Respicuus constantiam:

Christum professus publicè,

Abso-  
dum.

Pœna pari mox plectitur.

Ambo abstrahuntur ad Iouis

Delubra, si forsitan metu

Perterriti, cupidine

Seu lucis illecti, lrent.

Atqui Tryphon dum se daret

Spectante Nympha virgine,

Precatui, idolum Iouis

Abominandum corruit.

Suffusa protinus tide,

Perosa mendaces deos

Virago, demirantibus

Vnum Deum cunctis canit.

Recruduit cæcus furor

Prætoris, inque virginem

Versus, priores & duos,

Flammatus ira proruit.

Totum flagellis illicet

Resonat theatrum plumbeis;

Vox vna vapulantium,

Est unus in cælo Deus.

Cygnæ vox, & cantio

Nullius ore desit,

Donec piis fauces simul

Properata mors præcluserit.

Atiuge testimonium

Sub fata Christo redditum

Laudem Deo perenniter,

Vocalis & crux sonat.

### HYMNVS 18.

### IND. VINCENTIUM

Episcopum & Martyrem, sub

Dacianiano.

Organis  
stenallo-  
quitur.

Tu, cui, puer, nutu Dei  
Vocale parer organum,

Inflarier

Inflarier folles iube

Auris retrò obsequentibus.

Tu, dulcibus præsonis

Antistitis fortissimi

Nouum melos Vincentii,

Nos succinemus vocibus.

Vincentiani prima sine

Encomii præludia,

Æui tenelli flosculum

Sacris dicasse litteris.

Sit proximo virtus loco,

Iunxisse mores litteris

Probos, modestiam probis

Et addidisse moribus.

Non institutorem pium

Antistitem Valerium

Concreditæ sibi indolis

Vincentianæ pœnitet.

Nec penitet Vincentium

Operam dedisse præsuli

Sanctissimo, vitalis &

Hausisse verbi semina.

Commercium laudabile est

Illiis, ac huius: senex

Fessus ministrat dogmatis

Iuueni salubris pabulum.

Accommodat blæso seni

Linguam disertam iunior:

Reciprocatur assatim

Æuo minoris gratia.

Amplissimos fructus facit

Vincentiana concio:

Et Daciani præsidis

Iras atroces excitat.

Odit moram crudelitas;

Emittit armatam manum,

Quæ præpeditum vinculis

H Y M N O R V M

Virum Valentiam abstrahat.  
Sævitur in corpus rei  
Crebrò retorto verbere,  
Satelliti nefario  
Donec fatiscant brachia.  
Vix vllus est spectantium  
Qui non doloris particeps,  
Innoxij collacrymet  
Depexa terga pectine.  
Necdum resedit his furor  
Anceps vtro vitam auferat,  
Prunisne deflagrantibus,  
An rufus acto pectine.  
Crudelitas ô barbara:  
En infidet rogis pius:  
En terga late dissecant  
Sulcis profundis pectines.  
Aratione dupli  
Præscissus vndique, & lacer,  
Atro retrusus carcere  
Anhelus efflat spiritum.  
Constantis hæc sunt martyris  
Vincentij certamina:  
Hæc parta morte nobilis  
Vincentij victoria est.  
Mortalis hic nihil suum  
Agnoscit imbecillitas:  
Honos hic, & Christo Deo  
Victoriæ sit gloria.

H Y M N V S 19.

I N D. BLASIV M E P I S C O P U M , ET  
Martyrem sub Diocletiano.

D Vm viget impietas, lucro est, cessisse furori,  
Atque fuga vita consuluisse suæ,  
Si modo spes lucri nulla est, occasio nulla.

Sic Paulus,

L I B. Q V A R T V S.

159

Sic Paulus, sportæ munere, saluus abit.  
Ceu fugiat miles, sæcum redditurus in hostem,  
Sarturus dupli fœnore damna fugæ.  
Hunc Blasium talem vedit præclara Sebaste,  
Carmine quem meritò lux hodierna canit.  
Vedit, nec potuit fugientem sistere fletu  
Pontificem, latio territa præsidio,  
Cui viðtum, vitamque negat furiosa tyrannis:  
Argæus profugo mons dedit hospitium.  
Et quæ tanta vrsos tenuit vis, tanta leones,  
Inter vt indomitas degeret iste feras  
Incolumis? Leo quin sævit, quin sævit & vrsus?  
Aut, qui fulmineo dente timetur, aper?  
Numen obest, mirisque modis pro tempore, mutis.  
Mitem animum insevit, cum ratione, feris,  
Scilicet vt præda Blasius sit, monte sub alto,  
Militibus, præeant qui feritate feras.  
Ecce, trahunt collo appensum, eductumque sub auras  
Gestantem trepida stuppea vincla manu.  
Ceu si forte Leo venantibus obvius isset,  
Aut spumans iaculis occubuisset aper.  
Vir pius in penas seruatur, & horrida fata,  
Diras delicias præsidis Agricolæ:  
Principio Blasij patientia carceris atri  
Tentatur tenebris, sollicitoque metu.  
Ad captiuum aditus patuit tamen: impiger ægros  
Ille salutari tunc medicatur ope:  
Haud mora: finitimas vulgatur fama per vrbes,  
Perfacili Blasium quoque leuare manu.  
Fama canit puerum reuocatum à limine mortis,  
Spina hærens iugulo quem propè perdidérat.  
His super accendi præses, vitamque pacisci,  
Si modo sculptilibus thura adolere velit.  
Thura recusantem male mulctat verbere, donec  
Carnifices hausto robore deficiant.  
Altera adornatur laniena furentibus: eheu  
Pendentis tergum pectine tortor arat:

Argens.

Radit.

Radit atrox spinam dorsi, lumbosque fluentes:  
Imbuit atentem sanguine riuis humum.  
Vox nulla, aut gemitus, quidquid cruciatibus instent,  
Instet & insanis vocibus Agricola.  
Dira diu passo, ceruix incisa beato  
Humanum vetuit cernere fine diem.  
At nunc illa nitet Diuo lux candida, quam non  
Consequitur tenebris nox adoperta caput.  
Et quis, cum Blasio, Superum de gente, precator  
Impetret hunc nobis cernere posse diem?  
Qui sol, Christe, oreris semper, non occidis vnquam,  
Date da misericordia perpece luce frui.

## H Y M N V S 20.

*In Anonymum.*

**Q**uae terra? quis te protulit angulus  
Orbis? parentis cuius ab ubere  
Infans pendisti? obsecro, quis  
Aut pater, aut docuit magister  
Audere tantum te facinus virum?  
Pectusne ferrum robur, & æs triplex  
Obuinixerit sic saeuo, ut ausis  
Impia dilacerare scripta  
Frequentibus prostantia compitis?  
Securus omnis supplicij, & necis  
Præsentis? hoc factum stupente  
Conspicuum populi corona.  
Est dignitas, sunt diuitiae, & genus:  
Tu dignitatem, diuitias, genus,  
Vitamq; & auram principalem  
Antetulisse Deo recusas,  
Morti paratæ occubere lætior,  
Specante Christo prælia martyris.  
Nec te per id tempus mouebat  
Endoperator agens in urbe.

Ergo

L I B. Q V A R T V S.  
Ergo subis mox sacrilegas manus:

Vultus priori concolor arguit  
Interritum: pœnæ licet nil  
Carnificum feritas omittat,  
Donec solutus corpore spiritus  
Cæli beatas inuoleat in domos,  
Tortoris infani caduca  
Parte tui arbitrio relicta.  
Qui sis, Deus scit, qui tenet omnia:  
Quocunque dictus nomine nos fugis,  
Te fas, opinor, sempiternum  
Hic, sine nomine, habere nomē,  
Illata seu quod mors operosior  
Non instituto demoueat pium:  
Seu glorioso mortis atræ  
Quod socios animes agone.  
Hec sacra per vestigia nobilis  
Haud vñtrato funere Petrus it  
Dignus comes pœnæ sub astris,  
Et tituli super astra consors.  
Pensus per urbis distrahitur vias,  
Si forte falsis thure litet deis;  
Vultu nefandas stans ad aras  
Terribili scelus execratur.  
Sublimè raptus tollitur aulicus,  
Et membra virgis, fustéque tunditur,  
Compago dum candentis ossis  
Vndique hiet viduata pelle.  
Et ne minor sit vis cruciatum,  
Crudelitas quam Cæsar is exigat,  
Inflicta flagro & fuste, aceto  
Vulnera cum sale perflicantur.  
Præ cæteris hoc sit leue: ferream  
Immanitas cratem hæc simul apparat,  
Quæ martyris proni, & supini  
Torreat exanimis propæ artus.  
Pungunt, adurgent semianimem iocis,

X

Vrunt

Vrunt, perurunt carnifices minis:  
 Crudeleitatem exercituros  
 Suppicio grauiore iastant,  
 Ni membra frixus, tostus & vndique,  
 Cultum supremi Numinis abneget:  
 Frustra: viri dudum cupito  
 Spiritus astra petit volatu.  
 Virtutis huius non fecus æmuli  
 Tres consequuntur supplicis pares,  
 Vitæ exitu sed non eodem,  
 Reste breui celerante fatum.  
 Hos ergo quinque Ecclesia martyres  
 Debere Christo se recinit libens:  
 Ut prima sit non nominati,  
 Laurea quattuor elucrantis.

## H Y M N V S 21.

*IN MARCUM ET MARCEL-*  
*lianum fratres, Martyres sub Diocletiano.*

PAr est duellum, gloria par duum,  
 Quos edidit fœlix eadem parens,  
 Non tam sibi, terræne, rerum  
 Quam Domino, nitidis & astris.  
 Dixi parentem? iustius auferat  
 Nomen nouercæ, quæ malè liberos  
 Et menstruis & lacrymosis  
 Blanditijs studet auocare  
 A Rege Christo cælicolam: simul  
 Nomen paternum perdididerit pater  
 Fregisse nixus liberorum  
 Imperijs animos paternis.  
 Tot fas & hostes censeo dicier,  
 Quot sunt propinqui gnauiter impij  
 Traducere ad cultus nefandos  
 Qui pia pectora moliantur.

Imbellis

Imbellis haud est, haud animi leuis,  
 Simplex nec est victoria, sternere  
 Quam plurimos, viciſſe quum sit

Non mediocre decus, ſeipſum.  
 Spreuiffe mortem vostamen edocet  
 Sebastianus, nomine nobili :

Vos ille vinclos in profundo  
 Carcere, dicto animat magister,  
 Et dux, & auctor per noua prælia  
 Partæ ſalutis, præcipuum ducem  
 Peculiaris quem relato  
 Laurea mox decoret triumpho.

Sortitus ergo discipulos pares  
 Dignos Iefu, lætitia exilit  
 Immanitati ſe refervans  
 Supplicijsque nouis Tyranni.

Post longa fratres tedia carceris  
 Stant alligati ſtipe in arduo:

Durant, pe des ſuffixi vterque,  
 Dum latera effodiantur haftis.

Hæc finis, hic fit nobilis exitus  
 Fratrum duorum, quos deus æthete  
 Accerſit ad ſeſe, fouendos  
 Delicijs paribus per æuum.

Sit laus, & vni gloria fit Deo:  
 Sit trinitati perpetuum decus,

Cantanda virtus, fortitudo,  
 Angelicis & honos camenis.

## H Y M N V S 22.

*IN D. SEBASTIANVM MAR-*  
*tyrem, sub Diocletiano.*

FOrtem dicere militem,  
 Pergin'mi, tunica tectum adamantina?  
 Laus hæc eſt chalybis,

X 2

Pugna

Sebastia-  
nus.

Pugnæ vulnificis ictibus inuii,  
 Illum dicere gestio,  
 Nudus qui iaculi missilis excipit  
 Toto pectore grandinem:  
 Qui iam letifera cuspide saucius,  
 Confectus propè vulnere,  
 Nutantes oculos in placidam dedit  
 Mortem: falsus ut est tamen  
 Mortis fermè obitæ limite proximo:  
 Falsa est turba satellitum,  
 Exhalasse putans hunc animam quoq;:  
 Spirans, viuus adhuc suis  
 Tantum semianimis stipite soluitur.  
 Hinc curat medica manu  
 Plagas, auxilio non sine Numinis,  
 Ut rursum generosius  
 Constans, magnæ animæ prodigus, & pugil  
 Marte & morte queat mori  
 Quæsita: quis enim vix sibi redditum,  
 Aut saltet incolumem recens,  
 In regem madidum cæde nefaria  
 Dictis sic putet inuchi?  
 Obiectare virûm sacrilegas neces  
 Certa proposita nece?  
 Sanè, principio Romulides stupet  
 Spectaci: reputat sibi  
 Charum namque aliâs, tot iaculis ducem  
 Confixum: hæsit anxius  
 Is sit, necne, nouis qui bene cultibus  
 Mutatos veteres velit.  
 Vultum, acres oculos, impavidam aspicit  
 Frontem: at dicta tyrañnidem  
 Exprobantia, sub pectore belluam  
 Crebro vulnere lancinant.  
 Iam rimatus ubi est oppositos satis  
 Vultus, in furias statim  
 Accensus, iubet ad supplicia abripi

## Extrema

Extrema immeritum ducem.  
 Poena est, continuis fractus ut ictibus  
 Virgatum pius oppetat.  
 Instant carnifex, dum coeat crux  
 Vno vulnere vulnerum.  
 Totos carnifex hic labor occupat,  
 Insontis querimonia  
 Nulla, quum superas protinus in domos  
 Vincti spiritus euolat.  
 Huic sat suppicio temporis est datum:  
 Serta expromite martyri,  
 Sertis duplicibus tempora cingute,  
 Nam, bis vincere, bis mori est.

## HYMNVS 23.

IN PHILEAM, ET PHILOROMUM  
*Martyres, sub Diocletiano.*

Thmatis  
urbis.  
**E**T quem te Thmuitanum, vir maxime, dicam,  
 Nulli secundum præfulem,  
 Et pietate grauem, & meritis, fandi que peritum,  
 Promptu inque scriptis prodere  
 Nomine pro Christi feliciter occumbentes?  
 Mores probantur omnibus,  
 In Christum pietas tantum notissima vulgo  
 Tibi creat periculum.  
 Quisque propinquus adest, simul interpellat amicus,  
 Infestaturba lacrymis,  
 Et precibus blandis, ne te vltro perdere secum  
 Velis, & antiquam domum.  
 Ipse tui iudex fertur sub fata misertus,  
 Idem rogans & serio  
 Vir bonus, & prudens, quem scit de millibus vnum  
 Aegyptijs in ciuibus,  
 Ut se incolumem conseruet, temporis huius  
 Necessitati seruiens:

Néue nouo ritu, & peregrina religione  
Seductus in præceps eat.  
Expugnando animo satis esse hæc machina visa est,  
Antistitis fortissimi.  
Ille velut stabili consistens pondere rupes  
His omnibus nil flectitur.  
Nam magè dicta mouent Christi sub pectore fixa,  
Ne coniugis, ne liberum,  
Néue parentis amor, lucisque innata cupido,  
In Christiano pectore,  
Tempore dogmatibus Christi præponderet vlo,  
Et entheis amoribus.  
Interea inuidum contento gutture robur  
Antistitis deprædicat  
Vir magnus bello Philoromus nomine, culpans  
Diuersa quotquot suadeant  
Numinis à cultu veri, & pietatis amore,  
Quo flagrat optimus pater.  
Hæc vbi dicta, pari (infandum) correptus vterque  
Crudelitate plectitur.  
Exsiliunt tolerasse pares, cecidisse parati,  
Et festa dicunt gaudia.  
Omnigeno tandem cruciatu exhausta tyrannis  
Vtrique demetit caput.  
At vos concordes animis, & funere bini,  
Si nunc doletis hanc vicem  
Terricolum, ceu credibile est, concedite nobis  
Aduersa quæque perfeti:  
Qualis & obtigerit, vobiscum nomine Christi  
Obire mortem forticer.

H Y M N V S 24.

IN COSMAM ET DAMIANUM MAR-  
tyres, sub Diocletiano Cesare.V Rbs Ægæa Dei geminos videt inclita testes:  
Hic Cosmus, ille Damianus dicitur.

Herbarum

Herbarum medicas vires tenet vnuſ, & alter:  
Ægis vterque impertiens solatia  
Pæonijs non tam succis, quām munere Christi.  
Disseminata fama sic medentium  
Præsidis inuidiam Lysæ succedit, & iras:  
Quæſitor hos grauissimè torqueret  
Imperat accitos: videt omnia temnere, fortes  
Christi videt quiduis amore perpetu.  
Subduci inde suis mandat conspectibus, alto  
Dirissime vincos, iubet mergi æquore.  
Ast illi pelago incolumes, vincisque soluti.  
Sele offerunt rursum Tyranni obtutibus.  
Fraudibus ille geri magicis hæc omnia clamans,  
Antri tenebris horridi ambos mancipat.  
Donec post ternos, instantia lumina, soles  
Immitior damnet reos incendio  
Nequicquam: flamma iniectos innoxia lambit,  
Quidquid rogis ligni ingerant satellites.  
At neque sic rabies Lysæ exsuperata refedit,  
Quin efferata profilit multò magis,  
Inque subinde nouas tam spargit concita pœnas,  
Quām se ferendis acriores apparant  
Supplicijs inidem, sub eodem Numine, fratres,  
Ardore fratres, & pari constantia.  
Vnus ad extreum cruciatu finiit ensis,  
Dum tædium capit sui crudelitas,  
Et noua germanis redit in præcordia virtus,  
Ardens pares celo coronas prendere.  
Hic amor, hæc fratrum concordia rara duorum est,  
Probata communi fides in carcere,  
Et pietas vincis, per aquas spectata, per ignes,  
Vt est honos & par olympos gloria.

HYM-

## HYMNVS 25.

IN VITALEM ET AGRICOLAM  
Martyres sub Diocletiano & Maximiano Caesaribus.

**S**eruuus, herusue fuat, nullo discrimine habetur  
Cælitum Domino,  
Neutrum alteri qui præferat  
Omnibus expositus, quicunque è pectore puro  
Vota, precésque ferunt  
Dicto audientes Numinis.  
Non humili est animo seruuus, qui in fata præire  
Non renuit Domino,  
In certa vitæ gaudia  
Vitalis, non supplicij grauitate domandus,  
Deinde nec exitio,  
Heri sub aspeſtu, & Dei.  
Nunc sunt Agricolæ, serui post funera, partes,  
Non letiiora pati,  
Quam ferre fortè seruulum  
Est miratus heri coram mandata sequentem.  
At neque mors domini  
Dilata, venit mitior  
Stipite pendentis, mortemque imitantis Iesu,  
Quem sibi præstituit  
Et mortis, & vitæ ducem.  
Tollit cælo oculos cruce iam sublimior, ardet  
Appropare & iter.  
Quò seruulum præmiserit.  
Huius, & illius par est fortuna, duorum  
Conditione pari,  
Quos haurit in fæse Deus.

HYM-

## HYMNVS 26.

IN D. ADAVCTUM SOCIOS QVE MAR-  
tyres sub Diocletiano & Maximiano Caesaribus.

**F**Oelix te niueo lactauerit vberem mater,  
Auspiciis tulerit Daunia terra bonis,  
Vir sacer, egregio dux commemorande triumpho;  
Macstante elogiis semper, Adauete, nouis.  
Candida non simplex decorat tibi tempora laurus,  
Tempora non querna fronde corona virens.  
Hoc seruare Deo est, cultu eripuisse deorum  
Ciues, perpetuo subtrahere exitio.  
Quæ tibi vis fandi, quæ præsens pectore virtus,  
Impulit illectos in tua fata Phryges?  
Laus vnum potuisse mori est, potuisse per vnum,  
Quis stileat, Christo milia multa mori?  
Vrbs fuerat differta viris, præclara senatu,  
Percelebris summi religione Dei.  
Iusta deum, spreto caelesti Numine, cultus  
Suscipere, horrendum despuit imperium.  
Hinc subita inuidia est, vtriusque & Cæsaris ira:  
Tum cita claudendis ciuibus obsidio.  
Effugium nulli patet villa ex parte, nisi quis  
Sculptilibus malit thura cremare deis.  
Vox obfessorum sola exauditur, Adaucto  
Sub duce, nos Christo dedita turba sumus.  
Tota subit muros acies, incendia miscet,  
Omnis ab iniecto conflagrat igne domus.  
Cladibus his non vir, non foemina, non grauis ævo,  
Non supereft vsta parvulus æde puer.  
At licet innumeri Christum testentur, Adaucto  
Dicimus hic vnum sub duce martyrium.

Civitas  
quedam  
Phrygia.

Y

HYM-

*IN D. MAURITIVM MARTYREM,  
Thebana legonis Imperatorem, sub Maximiano.*

**C**entifores merito celebrentur carmine Thebæ,  
Vrbs fœcunda viris, quos sœua in prælia mittat  
Parte sui minima accipiens dispendia: pluris  
Agminibus totis, quæcunque emiserit, esto  
Mauritii legio, quæ lota salubribus vndis:  
Vnum luce palam Numen profitetur olympi,  
Thuris & idolo timet offusisse vapores.

Romulidum Princeps male sana in bella trahebat  
Ingentes populos per Galica rura, ferocem  
Vana supersticio, Diuis ut libet honorem,  
Incessit, fieri quod castra per omnia mandat.  
Tum promta argento passim simulacra, vel auro  
Collucent; gens stulta ruunt, altaria fumant.  
Vnica seſe offert legio tristissima castris,  
Stare loco impatiens, quo rapti iniuria honoris  
Numen in ardentes indignè ſuscitat iras.

Fert grauiter Cæſar, Thebanum excedere: ad aras  
Maturare iubet redditum; parere negantes  
Propositam sperare necem. non segniter illi  
Dant breue responsum, ſe relligione vetari.  
Morigeros aliis habiturum rebus. At ille  
Ocyus horribiles diēto flammatur in iras:  
Mittit in infontes, decimum qui quemque trucident.  
Hoc ſemel, atque iterum. color, & calor omnibus, &  
Vna mori: cœſiſſe loco ſcelus omne putatur. (mens

Ergò acies omnis, ferali indagine cinctos  
Missilibus iam, iamq; petit: premit eminus haſta,  
Comminus & gladijs: legio cadit omnis ad vnum,  
Imbuit & ſparſo ſitientes ſanguine campos.

Mauritij hic ſeſe tamen imperterrita virtus  
Exſerit in primis, moxem ſuadentis honestam,

Quam

Quam lux, vita, quies, & parta corona ſequatur.

At nos infirmi, atq; humiles, rerum omnium egeni,  
Degeneresque modo quodam, & cæleſtium inanes,  
Inſignesque animos, deuotaque pectora morti  
Carminibus modicis, freti celebrauimus hac ſpe,  
Humanæ vt fortis miseriati incommoda, fortes  
Hos nobis animos prece demittatis ab alto,  
Pondere iam longo fessis, & mole laborum.

*IN IOANNEM ET PAVLUM FRATRES  
Martyres sub Iuliano Cefare.*

**E**Sse hominum, obſeptam mortali corpore, peſtem,  
Immanitatem ferre cuius barbarem  
Nec valeant Erebi, vexantes corpora, peſtes?  
Ille Imperator ater, infandum caput,  
Emtam diuitijs, & cenuſu diuite, fratribus  
Teſtam cupit silentio cædem impiam.  
Fingit in exilium, quos truncat vertice, miſſos  
Hic particida clanculariis dolis.  
Dæmones in vulgus ſpargunt commenta, dolofio  
Hæc inuidentes principi mendacia.  
Fratribus his pietas est vna occasio cædis,  
Procluſis & mens in iuuandos pauperes.  
Credite, Diuorum viuit post funera virtus,  
Viuit flagrans amor ſuperstes cælitum  
Erga mortales: immò & flagrantior: auctor  
Necis Terentianus id testabitur.  
Sollicitans Diuos ſolus tenet ille ſepulcrum  
Quo martyres à ſe necatos condidit.

Cum precibus lacrymas fruſtrâ nec fuderit hostis  
Nuper, beatus filio iam ſoſpice,  
Quem prius ob cædem infandam vexabat Erinnys,  
Vlturna patrium nefas in filio.  
Præteriti ſed nunc expers erroris vterque

Voto pari Christum deum deprædicat,  
Auspicijs cuius binos qui perdere Diuos  
Annititur, saluum videt se, & filium.

## H Y M N V S 29.

*IN D. CYPRIANVM CARTHAGINIE V-*  
*sem Episcopum, Virginem & Martyrem, sub*  
*Valeriano Imperatore.*

**H**Æreo, Diue, quibus tantum te laudibus ornem;  
Nam tua laus hymnis, & maior carmine virtus.  
Surrigitur latè, tantumque excrescit in horas,  
Quantum aquila attollat se pennis ardua cælo.  
Qui nescit per tot Cyprianum sœcula, nil scit.  
Rursus & omnigeno virtutum examine clarum  
Qui non laude vehit, qui non veneratur, amatque,  
Inuidus, ingratus, merito cognomine caudex  
Dicatur stupidus. Celebri dignissima cantu  
Si taceam, obscuro si corde silentia rodam,  
Talia & ipse feram iustis conuicia probris.  
Nil Cypridis Cyprianus habet, nil sordis opimus  
Moribus illeuit fundus, nil copia rerum,  
Lasciuæ nil dedecorant commercia pubis.  
Non domus, & tituli, & priscis grauida atria ceris  
Non iuuenem abripuit vento lo gloria curru,  
Flexanimusque lepos, & diues gloria fandi,  
Quantumuis oculi spectent te mille loquentem.  
Christus honos, tibi Christus opes, tibi gloria Chri-  
Vnica nobilitas, summo genitore renasci. (Itus,  
Est animus constans cælestè ornare lauactum  
Flore pudicitiae, ne quid de Cypride nomen  
Inferat in mores, risus, sannæque ministrans  
Materiem: Nam qui Capriani nomine lusit,  
Carpere non vitam, sed linguæ dona disertæ  
Visus erit, Christi audierit qui dogma sonantem  
Non animis, non iudicio, non auribus æquis,

Audax

*Capria-  
nus dictus  
est inuidio  
cuidam.*

Audax fabellas pietatem dicere aniles.

At non languidior, sed contra au dentior isti  
Strenuus aduersas acies perrumpere, vindex  
Sacrilegi cultus, castigatorque nocentum.  
Te plebs ipsa licet, contorti turbinis instar,  
Iam semel atque iterum petat obiecisse leoni:  
Attamen inuidiae cedens, stolidoque furori,  
Ne tua maiores cieat præsentia turbas,  
Ut nutrita solent incendia sumere vires,  
Te sponte exilio damnas, abdisque latebris,  
Intempestiuæ renuens te obtrudere morti.

At neque marcescens leuibus teris otia nugis,  
Largus consilij monitor, currentibus acer  
Hortator, miseriis blandè solator amicus,  
Omnibus expositus sacrum expendit scruorem,  
Si locus in fidei profectum postulet, aut res.

Annus bissexus voluendus mensibus ibat,  
Ex quo Pontificis penitus concusserat urbem  
Corneli interitus, quicum certare solebas  
Communi studio statuenda religionis  
Ancipiti amborum pridem certamine, si non  
In mortem summus properata morte præisset  
Romulidum pastor, patriis è finibus exul  
Principio, post hæc plumbatis terga flagellis.  
Dissectus miserè, truncatus vertice tandem  
Mortalem Christo gaudens exsoluere vitam.

Angeris: at te exempla mouent pastoris amici,  
Qui tibi præripuit properato funere palmam.

Ergò peregrinis aderas reuocatus ab oris,  
Iamque subis muros altæ Carthaginis: illic  
Quo res tota loco exploras, prò tempore quidnam  
Utilius, posuisse animam, vel parcere vita  
In diuturna gregis commissi commoda: sed mox  
Quæreris ad mortem, longo tibi tempore & ipsi  
Quæsitam, gladio Cypriani lactea ceruix  
Supponenda truci expetitur: placet (ocius inquis)  
Optio Christicole: dubitem vestigia Iesu

Ponè

Cornelius  
Papa.

Pone sequi? Iamiam cupientem iungite Christo.

Credo equidem, lectam tibi vir fortissime lucem,  
Qua pater ante annum nitidis successerat astris  
Romulides: dextro potius vel Numine factum,  
Vt lux vnanimes eadem vos iungat olymbo,  
Qua prius vnanimes vos vidiit in orbe sodales.

Viuite fœlices animæ: mortalibus ægris  
Ferte libenter opem, fessis succurrите, lapsos  
Erigite, atque alacres firmo date pergere gressu  
Cœlestem in patiam, superisque inferte choreis.

## H Y M N V S 30.

IN PETRVM EXORCISTAM ET MAR-  
cellinum Presbyterum Martyres, sub Diocletiano.

**V**Trumque mirum: dæmones  
Hominum subire corpora:  
Ius obtinere regium  
Haud possidendo in corpore:  
Parere nec mirum minus  
Homini imperanti Dæmonas,  
Obsessa dudum & corpora  
Dicto ocyus relinquere.  
Vt roque miror hic magis  
Vnum, nec id tolerabile,  
Quod qui meretur optimè  
De quolibet mortaliūm,  
Dicto efficaci præpotens  
Stygiarum abactor pestium,  
Mulctetur indignissimè.  
En Petrus, horror tartari  
Dictus celebri nomine  
Olim per urbem Romuli,  
Iusu Sereni iudicis,  
Tristi relata gratia,  
In carcerem detruditur.

Affectus

## L I B . Q V A R T V S .

Affectus hac iniuria  
Vir opimus, vim pristinam  
Non inuidet Quiritibus.  
Custodis illic filiam  
Artemij, actam spiritu  
Tumultuoso, Numinis  
Cæli fauore subleuat.  
Repente mutari pater,  
Mater puellæ sospitis,  
Frequente cum vicinia,  
Quæ continenter ad rei  
Miraculum confluxerat,  
Omnes simul Christi dei  
Sodalitatem exposcere.  
Hic nempe Marcellinus est  
Præstò, verendus presbyter,  
Qui flagitantes lustrico  
Mergat lauandos flumine.  
Ambos Serenus iurgijs  
Adortus est minacibus.  
Cui presbyter liberime  
Ad cuncta respondet, minas  
Parui æstimans. At ilicò  
Os mille pugnis tunditur.  
Nudatur, à Petro suo  
Diuulsus: hinc nigram in specu  
Nullo cibi solatio,  
Aut recreandus flumine  
Protruditur: senis pij  
Deambulantis, vitreae  
Testæ, solo stratæ, acriter  
Plantas diu conuulnerant,  
Dùm Petrus abstrusus loco  
Alio catenis stringitur  
Arctissimis. At iam ferum,  
Iamque irritæ tyrannidis  
Pudet, pigetque iudicem.

Ambos

**H Y M N O R V M**

Ambos paris constantię  
Educit in pomoeria,  
Truncatque sacro vertice,  
Ignarus occumbentium  
Pro Christi Iesu nomine  
Sese beundos spiritus  
Stellanti olymbo reddere.

**H Y M N V S****I N QUADRAGINTA MILITES,**  
*Martyres tempore Licini Imperatoris.*

PVLcrum concinimus militiæ genus,  
Qua non claruerit flectere equum prior,  
Aut torquere lacertis  
Hastam, & spicula fortior:  
Qua vñalem animam vix modica stipe  
Non Car prolixiat, per fera prælia,  
Ater puluere, luctis  
Orbus posterioribus.  
Cui virtus titulo turgida nil brevi,  
Nec rumor celeres præteriens notos,  
Nil mors pota cruento  
Post fatum, reliqui sinat.  
Digni laude viri percelebres eant  
In fastos memores, inque diaria,  
Iusso Marte valere,  
Quotquot nomina dant Deo.  
Rauco non animos cornua murmure  
Incensis acuunt, non litui aut citæ  
Armant sponte ruentes  
In certamina buccinæ  
Flamas è superis adiicit arcibus  
Æternus Genitor. Christus adhæc crucis  
Signum tollit ad astra,  
Ductor ponè sequentibus.

Nudum

**L I B . Q V A R T V S .**

Nudum membra deum nempe sequi decet  
Nudos auxilio terrigenum, ac ope:  
Nil quidquam sibi filios  
Et sustollere onus crucis.  
Hoc sublato humeris, tum fuerit leue  
Quidquid carnificum mens mala struxerit  
Scite leta repertis

Nunquam non cruciatibus.  
Hic denos quater est cernere milites  
Huic mundo emeritos, vt mereant deo,  
Mercantes cruce Christi  
Celi fidereas domos.

Quid pedor moueat carceris horridi  
Iam cognata polo pectora ? quid metus  
Mortis supplicio emptæ

Iamdudum cupidos mori?  
Nunc lusurum operam se soliti artifex  
Cernit supplicij: vertitur ad nouas  
Artes: consilium dat

Instante acris hyems gelu.

Quod nec longa nigri vincula carceris  
Extorquere queunt, nec rota, nec vorax  
Ignis, tempore brumæ

Hyberni rigor auferat.

En stagnantis aquæ gurgite conditi  
Noctis frigoribus conglaciari amant.

Quadragesimus vñus  
Intrat proxima balnea,  
Euitare hyemem sollicitus, sed id  
Non impunè: calor nam subitus necat

Extemplo fugitiuum,  
Plausu non sine martyrum.

Lustrari mediæ noctis iter stupet  
Præfectus vigilum, lumine flammeo,  
Cundorumque coronas

Sacro vertice fidere,  
Lapsas cælitus. Immergitur ipsemet

Z

Stagnis,

## HYMNORVM

Stagnis, deposito tegmine, ne decus,  
Vno se sine, tantum  
Præclara abripiat cohors.  
Omnes lux retegit postera lumine  
Cassos. examinum corpora carnifex  
Flamma absumit edaci,  
Nec parcit cineri pio.  
Quem mox in vitreas disiiciens aquas  
Sparsum finitimo flumine dissipet,  
Ditem Christicolarum  
Thesaurum populo inuidens.  
Cæcus, mentis inops, qui superum chorus  
Permistas animas haud reputat, neque  
Foelix transfigere æuum  
Claras perpetue gloria.

## HYMNVS 32.

*IN PTOLEMAEUM, ET LV-*  
*cium Martyres, sub M. Aurelio Vero, &*  
*Antonino filio Cesaribus.*

Pilate  
scz.

**N**on dignus hic me est (Christus ait) dei  
Quem se fateri discipulum pudet:  
Qui me super terram negarit,  
Hunc super astra meum fatebor?  
Non Christus astu, non capitur dolis,  
Vero tenaci, & simplice lætior:  
Qui Daunio se se monarcham,  
Sacrifico quæ deum fatetur.  
Non Christiano pectore se premi,  
Euangelii & commune negotium  
Ore obserato (quum potis sis  
Promere) iure suo queratur?  
Non iste, non siccus Ptolemus gerit,  
Qui se rogatus Christicolum afferit  
Liberrimè, Christi timorem

Corpo-

Corporis anteferens saluti,

Spectate fortè pectori militem,  
Pædore nullo carceris, aut situ,  
Nullo metu mortis cruentæ,  
Proposito meliore flexum.

Nunc ad tribunal sistitur Vrbici,  
Qui maceratus carcere, tædio,  
Mœrore, tormento, pauore,  
Fortè déoque, deique Nato  
Tandem obloquatur fedifragus, fugax,  
Desertor alti Numinis impius,  
Procumbat & mox ad nefandas  
Incoluis simulator aras.  
Ast euenire id multò aliter videt,  
Quam iudicari, turbida factio:

Amplissimas, Christi, reus nil  
Addubitat celebrare laudes  
Vitæ periclo, nec timidus caput  
Ensi amputandum tradere, Lucium  
Vecturus in cælos sodalem  
Ad socios pariter triumphos.  
O qui rapina diuite sidera  
Bini tenetis, regnaque cælitum,  
Curate, nos & liberatos  
Tristibus exiliis, leuari.

## HYMNVS 33.

*IN VICTOREM MILITEM, ET*  
*fæminam nomine Coronam.*

**H**æc non tueris nomina segniter  
Inuioste Victor, propositi tenax:  
Quodcunque contrâ moliatur  
Rex olidi insidians auerni.  
Tentare malit seu prece subdola,  
Seu fata poenit non celerantibus,

Nam

Vrbici.

Z 2

## HYMNORVM

Nam flamma corpus sacro sanctum  
Tangere seiminanimi refugit.  
Sebastiano iudice mitior,  
Cui non satis sit frangere malleo  
Ambas tibi palmas, profanis  
Thus adolere deis negantes.  
Frustra venenis res geritur, Deo  
Frenante tabis mortiferam luem:  
Qui potionem temperauit,  
Christicolis citus aggregatur,  
Vim conspicatus cedere toxicci.  
At nec tyranni subsidet hic furor:  
Feruente nequicquam per artus  
Tingeris & pugil hinc oliuo.  
Orbaris & post lumine visilis  
Phœbi, refossis luminibus; nihil  
Curas, tibi vibrante in imis  
Pectoribus meliore flamma.  
Dulce, & decorum fundere iudicas  
Pro Christi Iesu sanguine sanguinem,  
Vitamque constanter fugacem  
Pro stabili exsoluisse vita.  
Abscissus ergo viator abis caput,  
Exempla linquens fortia: nam ducem  
Te, quamlibet sexu imbecilli,  
Non humilis mulier, Corona,  
Mox consequetur pectore masculo.  
Restem superstes fœmina militi  
Huic Christiano, si sub ijsdem  
Milito (clamitat) ipsa signis?  
Immane præcepis supplicium furor  
Excogitauit: Stant geminæ arbores  
Palmæ, colono nil minus quam  
Hos positæ pariles in usus.  
Tortoris ergo sacrilegæ manus  
Cælo eminentes ocyus arborum  
Vi detrahunt ramos, ligandis

Fœmineis

## LIB. QVARTVS.

Fœmineis per inane membris.  
Ad se retræctis, haud mora, brachijs  
Artus solutos vtraque vindicat  
Arbor sibi; plaudit recepta  
Afta anima potiore olympus.  
Miremur & nos hoc geminum decus  
Nutu' supremi Numinis additum  
Cælo, subacta morte, pœnis,  
Et Cacodæmone, Carne, Mundo.  
Peculiaris stat tibi gloria  
Lucrate viator funere fœminam  
Lento: proin non inuidebis  
Huic socio capiti coronam,  
Palmæque honores in nece posthuma:  
Quanquam iuuet vos reicere in Deum  
Quæ parta sunt vtrique vestrum  
Numinis auxilio, trophæa.

## HYMNVS 34.

IN SEPTEM FILIOS MARTY-  
res, una cum matre Fœlicitate, sub  
Antonino Pio.

Fœlicitas.

FOelicitas est gignere liberos  
Fide valentes, non sibi, sed Deo:  
Quo terra foetu non superbit,  
Atria sed populosa olympi.  
Fœlicitati stat decus octuplex  
Mortis subactæ fortiter in piis  
Natis, minus nec glorioso  
Corporis in proprii tropæo.  
It dura per proscenia signifer  
Fratrum, necandus verbere plumbeo  
Janus, cui primo petatur  
Janua mox referata cæli.  
Foelix Philippo fratre animosior

Janua-  
rius.

Z 3

Sequentia

Sequente pugnam, fustibus oppetit:  
Vt roque defessorum atroces  
Carnificum superante poenas.  
Exempla quartum prima acuunt: Iugo  
Montis praetuli sicutur impiger  
Siluanus, haud immane praeceps  
Præproperæ metuens ruinæ.  
Nunc tres supersunt, queis caput auferat  
Ensis Tyranni, non animam deo  
Plenam, minas, penam, necisque  
Ultima vincere pertinacem  
Ante ora matris, progeniem bonam  
Christo sacrantis fronte hilari, ardua  
Ceruice spectantis cupitos  
Ingenuæ sobolis triumphos.  
Ardens virago pectori, pignorum  
Secura, celo quos simul intulit,  
Poenas easdem, laureasque  
Ipsa libens sibi met præhendit.  
Obstat Tyranni calliditas, necem  
Malo extrahentis foemineam dolo,  
Si forte lux plusquam virile  
Extenuet diurna robur.  
Post illa menses quattuor, acrior  
In fata surgit, collaque lactea  
Subdens bipenni, sancto agonis  
Fortia prælia fine claudit.  
Nos obsequentes interea piæ  
Matri, vel atro in funere liberos,  
Inuicta matris, liberorum  
In nece, viscera concinemus.

*IN SEPTEM ALIOS FRATRES*  
*Martyres, vna cunmatre Symphorosa,*  
*sub Adriano.*

TV Tibur, vdo mite solum situ,  
Fers Sympherusam germine fertilem  
Septemplici, quo vult, relicto  
Tibure, condecorare olympum.  
Professa Christum vult mulier mori,  
Vitam beatam viuere certior,  
Exempla dum magnæ Parentis  
Æmula non fugiat propago.  
Coniux prioris coniugis vt necem  
Paucis diebus posterior refert  
Constantia par, vincta collo  
Saxa trahens vitreos in amnes:  
Sic ipsa cælo pignoribus viam  
Muniuit: astant ordine liberi  
Præclara verè dicta matris  
Pectoribus tacitis prementes.  
Nox atra cunctis consilium sequens  
Dat: immò Christus lux, & alacritas  
Mentis serenæ, subministrat  
Suppliciis animos ferendis.  
Sol alligatis stipite singulis  
Vix mane fert septemgeminum nefas  
Planè reiectus: iam recondat  
Ora libens, nisi conditoris  
Obstare iussus nōrit, & impia  
Laxare frenos velle tyrannidi:  
Credentium ne forte virtus  
Desidiosa situ obsolecat.  
Crudelis ordo, si superis placet,  
Hic officinæ est, gutture primus vt  
Traiectus, hic cor, ille pectus,

## H Y M N O R V M

Atque alias cadat vmbilico.

Crudelitatem nec satis expleant

Sic interemti quattuor ; acrius

Sæuitur in quintum; recisus

In minimas perit ille partes.

Confoslus hasta multiplici interit

Sextus, relinquens supplicium vltimo

Fedissimum , quale intueri

Vix benè fustineat theatrum.

Summa est : ademto pectori diditur

Partes ad imas, quas vetat exprimi

Castus pudor: quod prostitutus

Hinc pudor auocet haud tyrannum,

Toruè intuentem viscera, vulnere.

Dispersa rupto sordida, & ilia

Turpissima tabis fluentis

Illuie, saniéque tetra.

Spectaculi iam carnificem diu ,

Et tædet inuictæ patientiæ ,

Poenas per & mortes, pudori

Visa cadauera pertimescit

Verti sibi, alta quæ melius tegat

Velox cauerna, Tiburis ad viam:

Haud cogitans mentes piorum

Sidereis domibus receptas.

Encomiis nos perpetuis deum

Vnum,inque trino numine simplicem

Cantabimus,cuius sub vno

Numine victa iacet Tyrannis,

Seu matre dira in funera liberos

Hortante , matrem seu benè liberis

Ad præuiam palmam per aspra

Prælia, perque neces secutis.

Hoc turbulentio nunc quoque sæculo,

Apoftro- Si compreceris tutè animos pares,

pbe ad Ante ora Christi congregate

Chorum. Num patiare, Chorus, repulsam ?

## H Y M N V S 36.

I N D . P A M P H I L V M M A R T Y R E M .  
sub Maximino.

H Elluo inexplenus librorum, Pamphilus ardet  
Cuncta vnde cunque discere.

Territus impensis nullis, nulloque labore,  
Aut scriptioris tædio.

Quid fuit, & numero ingentes, & pondere libros  
Notasse propria manu?

At non congeritur librorum copia tantum  
Ad pompæ inanis gloriam,

Omnigenis quantum ditanda ad pectora sensis:  
Ad instruendum scilicet

Magni animi prægrande penu, depromere de quo  
In idiotarum pios

Vsus diuinitas sibi partas vndique possit  
Per liberali fœnore.

Multa domi, nec pauca foris molitur, & audet  
Inseruiens per omnia

Moribus, & fidei præstantibus incrementis,  
Christique Iesu gloria.

Hinc liuor, mista & liuori infania , diuum  
Permit ense Pamphilum,

De nullo benè non meritum , semperque merentem.  
Scripto , labore, moribus.

Inuidus ipse sibi liuor, sibi iustus & ipsi  
Vlciscitur suum nefas.

At iam, Diue, tuis sat factum, Pamphile, votis:  
Restincta discendi sitis,

Qui legis in vultu Christi, quæ te ardor agebat  
Perfectius cognoscere.

Nos eadem tecum gestimus scire ; præcatu  
Sustolle in astra supplices.

## H Y M N V S . 37.

**I N D. I U S T I N U M P H I L O S O-**  
phum Martyrem, sub Antonino Pio.

**T**V non truncus eras, non pondus inutile terræ,  
Non corpus absque pectore,  
Discendi studio flagrans, sophiæ omnis amator,  
Non veste, non barba tenuis  
**Tu, Iustine, sophus, causas disquirere rerum**  
Origines & omnium,  
**Callidus in siluis Academi querere verum,**  
Locis parum salubribus.  
Miraris ruere in mortes, discrimine nullo,  
Christi renatos sanguine.  
**Colligis, & rectè, non sese perdere luxu,**  
Putrisque non immergere  
**Vitæ delicijs, alacres abrumpere vitam,**  
Lucris carere, & commodis,  
**Ætherea amplexos meliorem sede repostam.**  
Probo viro consortia  
**Arrident gentis, vitium cane peius, & angue,**  
Quæ semper infensa oderit,  
**Virtuti insudans vni, immoriensque repertæ,**  
In conditoris gloriam.  
**Talia voluentem firmat diuinior aura,**  
Et rōborat magis ac magis,  
**Vsque ad eò, scriptis ut res tueare labantes,**  
Et fulcias Euangeli,  
**Cæsareas retinens doctis sermonibus aures,**  
Et diluens calumnias  
**Hostiles. Cynico sed non impunè furori,**  
Latratibusque te obiicis.  
**Ille magistratus, populiisque ferocior aura,**  
Tibi mille poenas irrogat,

Denique

## L I B. Q V I N T V S.

187  
Denique &, asserto Christi pro Numine, mortem,  
Te glorioso martyre,  
Téque sopho dignam, iam non virtutis inanis,  
Aut veritatis simplicis  
Nomine mendaci, sed Seruatoris amore,  
Qui vera lux, & veritas,  
Atque immortali virtus adamanda decore,  
Collustrat arces cælitum.  
O sophe, sis fœlix, sophiæque fluentis in æuum,  
Restingue pectus haustibus.  
Si nulla inuidia est, demitte (precamur) olympos  
Siticulofis guttulam.

H Y M N O R V M  
LIBER QVINTVS.

## H Y M N V S . I.



Actenus illustres in rubro sanguine testes  
Progressi pompas agitant, cæloq; recepti  
Morte redemptoris stabilita pace fruūtur:  
Hos imitatores & vitæ & mortis, Iesus  
Impositæ proprio decorat splendore co-  
Idem alios vix conspicua virtute minores (ronæ:  
Accipiens propiore loco radiantis olympi,  
Quos mors abripuit violento sicca sine iectu,  
Casibus innumeris, longisque laboribus actos.  
In senium, fessos qui, saturosque doloris:  
Seu iuuet in siluis alios latuisse remotis  
Lucifugos, seu monticolas sub rupibus aspris;  
Pallentes, ruga frontem perarante senili,  
Squalentes artus adopertos tegmine ouillo,  
Acribus aut, Cilicum detritos corpora setis,  
Insomnes, socios vrſi, foetæque leænae:  
Siue leuis ludos vulgi, dicta acria, fannas,

Aa 2

Nominis;

Nominis, atque bonæ dispendia temnere famæ  
Prætulerint alij, nocturnis, atque diurnis  
Assueti precibus, sacrisque incumbere chartis,  
Et populos formare rudes, & pascere verbi  
Delicijs animos vitalibus, & dape viua.

Quin mea postremò veniant ad carmina cuncti  
Inter spes, interque metus, queis dulce supremi  
Iudicij tolerare moras, venturaque iura.

Hinc labor, hinc festi repetatur carminis ordo,  
Hymni materies, messisque vberrima, donec  
Carmen honoratum muliebri laude reponam.

## HYMNVS 2.

*In D. Paulum Eremitam primum.*

**C**ælo supinas qui tulerit manus  
Post fata, flexo polite, qui polum  
Ceruice recta contuatur  
Arduus, ad similisque viuo,  
(Spectator hoc Antonius astruat)  
**C**ælo volantem corpore subsequi  
Et spiritum monstrat cupisse,  
Restiterit pñs tarda moles  
Condenda terris officio duum  
Aptè leonum, qui fodiant, vice  
Antonij, tumbam imbecillis  
Corporis exanimi capacem.  
Pollinctor aufert dulce salarium,  
Consuta palmæ tegmina frondibus,  
Aurata contemnens superbè  
Vellera, sidoniaque vestes,  
Palmæ comarum præ strue surili.  
His leniit desiderium senex  
Non iam super terra videndi,  
Sed super astra alias amici.  
Vidisse etebro se remittit scitur.

Cinctam

Cinctam beatis alipedum choris

Candore coniunctim coruscum,  
Sidera Pauli animam petentem.

Et vix querelis tristibus abstinet:

Cur me relinquis, Paule senex, senem?

Cur insalutato sodali  
Te recipis superas ad arces?

At nec suorum septa prius pater

Visit superstes, quām faciem loci,

Rupem excavatam, tecti in vsus,  
Ingenio, atque labore nullo

Spectet, vetustum palma tamen decus

Oploniorum fertilis addidit,

Vllos comæ indignans honores  
Ludibrium volitare ventis,

Nudum priusquam vestiat hospitem.

Hinc fons scaturit sub pede montium

Paulo sitim iugi laborans  
Exsaturare subinde riuo.

Has inter hic se delicias cibum

Cepisse, fontis margine roscidi  
Gaudet, dietim commeatum  
Alite suppeditante coruo,

Altore Diui, qui geminis catus

Conduplicauit farra sodalibus,

In quamq; lucem mensæ herili  
Dimidium dare consuetus.

Secum reuoluit dicta salubria,

Fœlicis & vitæ legit ordinem

Antonius, quem ritè adumbrent  
Cenobij, & memorent nepotes.

Ex parte quid si nos aliqua æmuli

Vtrumque tardo consequimur gradu

Post terga? conantes, opinor,  
Omnipotens deus adiuuabit.

H Y M N V S .

*In D. e Antonium Abbatem.*

**A**ntonii tam sit nobis venerabile nomen,  
 Quam graue tartareis  
 Dixere prisci pestibus.  
 Diffugunt, loca sola petunt, obfessa relinquunt  
 Corpora præcipites,  
 Vrgente Diui nomine.  
 Risit opum iuuenem spretorem, risit honorum,  
 Rex stygius : socios  
 Hortatur atra in prælia,  
 Subiicit : Ille nouis cultor squalentis eremi  
 Fregerit imperia hæc  
 Bellator in gurgustio ?  
 Ite, & proposito luctantem auertite sancto:  
 Ludite imaginibus,  
 Terrete spectris horridis.  
 Tota cohors mandata subit: blandis ea primus  
 Rem gerit illecebris:  
 Hæc prima spes victoriæ  
 Irrita : post quanti cruciatus, quotq; sequuntur  
 Intolerabilia  
 Forti cuique verbera ?  
 Hic, velut obtusis inuicta securibus ilex,  
 Aut pelagi rabiem  
 Fastidiens Marpesia  
 Cautes, intrepido perfert durissima vultu,  
 Corde premit gemitus,  
 Confusus alto Numine:  
 Acribus aut aliâs dictis ferit arduus hostes,  
 Non sine ludibrio  
 Inanis insolentia.  
 Tanta viri virtus ; pendentem quem Deus à se  
 Subleuat omnipotens

Victrice

Victrice obarmans dextera.  
 Continuata pater primis ieunia ab annis  
 An-ne pil'i faciat ?  
 Chameun iamue negligat  
 Affiduam? gemitus, lacrymas tot, vota, precēsq;  
 Spem fidei sociam,  
 Ardentem amore Numinis?  
 Haud ita dat Diuo genus omne expellere morbos,  
 Quodque homines populet,  
 Incendium restinguere.  
 Dat quoq; centenos vitam producere in annos,  
 Quinque hyemes cumulans,  
 Terrore longo dæmonum.  
 Seu superet viuens, distet seu longius absens,  
 Seu recubet tumulo,  
 Orci metus laruas habet.  
 Hinc Constantini rumor penetrauit in aulam,  
 Esse virum, meritis  
 Apud deum qui polleat  
 Egregiis: Quin Cæsar huic commendat, amicis  
 Se sobolémque suam  
 Datis ad ipsum literis.  
 Nos, qui siderea, Antoni, te sede receptum  
 Credimus, auxilium  
 Te mente fida poscimus (nis  
 Nunc, quùm rex Erebi abiectis post terga cate-  
 Ima, suprema simul  
 Miscere mœtis cernitur.  
 Exsere te, & priscis solitus reparare salutem,  
 Nunc quoque sollicitus  
 Pronos clientes aspice.  
 Regbus, & populis cures demittere pacem,  
 Vnanimem & precibus  
 Ecclesiæ concordiam.

HYM-

## H Y M N V S 4.

*In D. Hilarionem.*

**Q**uod genus hoc tugurî squalens ostentat eremus?  
 Congessit hoc Hilarus sibi  
 Nempe opifex, paulo condentis vertice maius,  
 Iacente paulo longius  
 Corpore. Quis lectus dat ei requiescere? Iuncus  
 Palmaria aggestus strue.  
 Dicite: quo cultu degit? per frigora, sacco,  
 Sacco per æstum paupere.  
 Devictu, quæ cura? dies non vidi edentem,  
 Sed clara cælo sidera.  
 Quæ ratio opsoni? quindenæ vespere sero  
 Cœnam ministrant caricae.  
 Otia quo fallit, quo tempora longa labore?  
 Hymnis, precationibus.  
 Hæret humo corpus, rapidæ vis mentis, & hærent  
 Cognata cælo pectora.  
 Inde faces Christi sacrum iaculantis amorem  
 Mente æstuosa corripit.  
 Nec meminit mundi, nisi quum pietatis honorem  
 Fœdè profanari dolet,  
**Arius.** Et Triados cultum, malesani erroribus Arri,  
 Mortaliumque noxijs.  
 Complures vtinam tales hæc sæcla patronos,  
 Talem vel vnum naclæ sint!  
 Queis furere est habitum laudi, proscindere Christi  
 Diuumque dictis nomina,  
 Et factis; pacem labio proferre loquaci,  
 Et corde bellum indicere.  
 Et quid non? Animus multis meminisse refugit  
 Alienæ ab hisce cantibus.  
 Si quid, Diue, potes, potes ut nunc plurima, fessos  
 Malis, precator adiuua.

H Y M-

## H Y M N V S 5.

*In D. Athanasium.*

**I**Mmortalis habis nomen, titulumque superbum,  
 Magnanime Antistes: tua laus, tua gloria, virtus  
 Casibus innumeris exercita surgit olymbo.  
 O longis inuicte malis, qui pectori forti  
 Sortis in aduersæ descendis prælia, & hostem  
 Hostis vbique alacer reparatis viribus vrges.  
 Presbyter omnigena primū virtute resulges,  
 Cœlesti igne calens, reprehensor feruidus Arrj  
 Concilio in magno, tumidum nil Cœsaris aura  
 Formidans, studiumque tenax infanda sequentum.  
 Hinc odia, hinc iræ te facto præsule gliscunt  
 Terribiles, fictis mendaxque calumnia verbis,  
 Intentata modis varijs, totiesque retusa.  
 Subdola, vana, procax, procerumque interrita cœtu  
 Actrix deblaterat mulier, tibi, Diue, pudico  
 Vim stupri obijciens, fraude eludenda sodalis  
 Suppositi, sacra qui circumstante corona  
 Actrici adsimulet personam astantis amici,  
 Et toto excutiat risum plaudente theatro,  
 Exceptis, doleant qui technas arte retecas,  
 Hostibus, vlturis quaqua ratione pudorem  
 Appositè incussum: placet his occasio: fortè  
 Præsulis Arsenius veneranda in sacra minister  
 Flagitij post nescio quid designat, & iram  
 Commeritasque fugit poenas: trepidus latuit sons  
 Arrij apud socios. Hic tuta calumnia visa est,  
 Si latitans dominj fingatur ab ense minister  
 Viuentum medio sublatus: iamque sub ora  
 Pontificum, medio conselu affertur in vsus  
 Abscissus magiae (res detestanda) lacertus,  
 Arsenij quem contendant de corpore sectum:  
 Nil contra mutire Patres: crudelia facta,

B b

Impia

Impia facta ferè clament. ruit, ecce, repente  
In medium Arsenius: ne me impostoribus istis  
Credite vel cæsum, vel credite corpore mancum.  
Bina fero vobis, & tendo brachia salua:  
Mentiri pudeat vesanos crimine facto  
Perniciēm in capitis chari, insontisque magistri.

Necdum odia hostilis turbæ exsaturata quierunt,  
Cogeris exilia, & diuersas querere, cedens  
Insidiis, terras, quaqua patet obuius orbis.  
Sedibus incertis, huc, illuc, anxius erras.

Fama canit duro fugitiuum tempore, totas  
Sex hyemes sicca te delituisse cauerna  
Luminis exsortem, notum duntaxat ab uno,  
Qui tenuem vietum tibi suppeditaret, amico.

Ast vbi vel minimum licuit prorepere clauso,  
Quod mare non sensit tete vada cæca secantem?  
Quæ tibi non regio trita est? non angulus orbis?

Sic tibi doctorum tunc perlustrata ferax est  
*Gallia.* Gallia: Treuirii nec te eduxisse putarunt  
*Treuirii.* Turpe sibi, præter Romani edicta Monarchæ.

Tres tandem te Romulidæ, qui regna tenebant,  
Vrbis Alexandri cathedralæ, duce, & auspice Christo,  
Vnanimi assensu, præfati non sine honoris  
Insigni elogio, pastorem restituerunt.

Viuere tum primum ciues sibi, patre recepto  
*Iulianus* Sunt visi, miserum dum Cæsar apostata post hos  
*apostota.* Occupet imperium, à magno qui dicit Iulo  
Nomen, & è stygiis trahit impia facta lacunis,  
Christi hostem se sacrilego haud semel ore professus.

Principio ad laudum præconia multa tuarum  
Ringitur: inuictum pugilem in certamina discit  
Inuitus: subito infremtit ille acerrimus osor  
Virtutum, misereque timet furialibus ausis,  
Vno te incolumi. emittit, qui te male perdant  
Deprensum quounque loco. tu verrere flumen  
Nauicula acceleras. qui te post terga sequantur  
Nil dubitas, qui pone legant vestigia cymbæ;

Ferris

Ferris in aduersos lembo tu sponte retorto,  
Suspicio fugæ auerfa. tum talibus infit  
Cæsareus Vector: fugitiuus Episcopus an non  
Vsquam visus abit vobis hoc flumine? visus,  
Excipiunt alij, cœptum modo tendite cursum,  
Haud procul hinc hominem prensuri: impellite remos  
Ocyus. Illi instant, cursu & falluntur inani:  
Tu seruatus ope ætherea, delapsus in amnis  
Declinas latus, atque fugis discrimina vitæ.

Materno latitans mox non leuiora sepulcro  
Euitas tacitè, faueat dum mitior aura;  
Aut mage, præfixi mensura expleta laboris  
Mercedem accipiat summo sub iudice. Longa est  
Ilias illa quidem, seriæque implexa malorum,  
In graue iam senium, ac tepefactas frigore vires  
Corporis; ast animus fati sub mole virescit  
Integer, & cælo feruentior adiicit æstum,  
Eliciens vim mirificam diffusilis auræ,  
Donantis sapere, & fari, & committere chartis  
Iugibus, æthereæ si quid venit vtile vitæ,  
Ac præstare animo dubiis fortissima rebus.

Et nunc, gnaue pugil, quis honos ubi? quæve labore  
Parta quies? qui continuo tibi marte triumphi?  
Fallimur? an tristis meminisse pericula vitæ  
Vos iuuat, & cæli spectare à cardine pugnas  
Viuentum, & sortem sepè ingemuisse cadentum?  
Aspicite, ô celi, infortunia nostra, Quirites:  
Promeritas nobis auctrite Numinis iras.

## H Y M N V S . 6.

*In D. Hilarium Pittauensem Episcopum.*

Fama de iustis tibi certa: causis  
Seruat eternum decus, atque nomen:  
Tu tuo nostrum quoque consecrabis  
Nomine carmen.

B b 2

Opates

## H Y M N O R V M

O Patres inter venerande doctos,  
Docta dum seri monumenta voluent  
Posterū tempus, cariēmque scriptra  
Dum pia vincent.

Præbet argumēta procax nouatrix  
Hæresis, contenta nocere nunquam;  
Exili nam tu diuturnioris  
Tædia sensti.

Veritas tandem pietate septa,  
Post catenatos nimirū labores,  
Reddedit sedi vacuæ ministrum,  
Cæsare flexo.

Non quies, nulla est mora restituto,  
Quo minus Galla ditione pulsus  
Præfusilis magni studio vicissim  
Exulet error.

Ergo compostis sapienter à te  
Rebus, effulget noua lux: per vrbes,  
Rura per, virtus gradiente tendit  
Præfule gressum.

Nobiles primi venerantur ortu  
Te patrem clarum: rude vulgus ardet  
Mira præstantem nouitate rerum,  
Mira loquentem.

Ingemit natum periisse mater  
Lustricis nondum fluuiis renatum:  
Pastor & vitæ, satagisque matri  
Reddere natum.

Feruidus, constans, hilaris, modestus,  
Perdius, pernox, meritis, & annis  
Fætus, extremam, fugiente vita,  
Ferris in horam.

Sic adis cælos, hilarans olympum,  
Corpus ut sacrum tumulo relinquas,  
Et tui desiderium, beato  
Funere, terris.

Diue, sis foelix: age, supplicantum

Si preces,

## L I B . Q V I N T V S .

Si preces, si vota libenter audis,  
Cælitus cures hilarare duro  
Tempore mestos.

## H Y M N V S 7.

I N D . M A R T I N V M A R -  
*chiepiscopum Turonensem.*

Ergo qui cælum decorauit astris,  
Prata qui verno variat colore,  
Qui rosas vestit, petit à pusillo  
Milite vestem,

Nocte, quo se tegmine consecuta  
Venditet, grates vel agat datori?  
Diue, sic recto, bene foeneraris,  
Paupere Christo.

Egregi tirocinium est amoris  
In Deum, nudo secuisse vestem  
Vnicam: parsurus erasne fuluo  
Ditior auro?

Abiicit crescens amor intus idem  
In tibi visum semel arma Christum:  
Patris hinc flagrans Hilaris instituta

Plenius hauris,  
Maximo fructu pietatis in te  
Iam sitæ, cuius cumuletur auctu  
Turba Turonum, melior futura  
Præfule tanto.

Non apex, inflans alios, honoris  
Pectori quidquam minuit modesto:  
Præfusil est summus, fuit ante qualis  
Sedibus imis.

Cellula plerumque latens in arcta,  
Cui cibus vilis, cinis est cubile,  
Nulla cui cultus sit, & vsque sparsa  
Cura capilli.

B b 3

Simplicem,

## H Y M N O R V M

Simplicem, parcumque cibi, atq; somni  
 Te, polo fixos oculos tenentem  
 Rodit, aut ridet petulante frustra  
     Splene cachinnus.  
 Te quidem cælum iuuat intueri,  
 Aure ceu surda tolerare fannas,  
 Conscium nulli male velle, iustis  
     Gratificari.  
 Quid fuit, saevis dare terga cæsum  
 Publicè virgis? iugulum latroni  
 Quid fero? quid subdere & innocentem  
     Colla securi?  
 Hoc viti non est leuis, aut remissi,  
 Stare conuentis, vbi certa mors est:  
 Cæsar est testis medios paratum  
     Isse per hostes,  
 Mente ni versa, positis & armis,  
 (Flexit à summa Deus arce sensus)  
 Cæsarem proni veniam redempta  
     Pace rogarint.  
 Marte Martinum vario probatum  
 Martyrem qui dixerit, haud inepte  
 Dixerit, magno licet vnuis absit  
     Nomine sanguis.  
 Namque non lictor, gladius, securis,  
 Non rogus flammis facit æstuosis  
 Martyrem, sed firma fides libenter  
     Obuia morti.  
 Viuit hic recte, moriturque recte,  
 Quisquis in fratres animi paterni  
 Nulla sinceræ pietatis in se  
     Commoda claudit.  
 Multa se debere viro farentur  
 Plurimi, seu cui mala lepra vultus  
 Inficit, seu cui soluisse humor  
     Langida membra.  
 Loripes, iam non titubante gressu;

Exilit,

## L I B . Q V I N T V S:

Exilit, surdaque leuatus aure,  
 Lumen acceptum sibi gratulatur  
     Lumine captus.  
 Linquit obsecros erebi minister,  
 Præsulis pura prece victus, artus;  
 Et reddit sensim reuocata ternis  
     Vita sepultis.  
 Talibus vitam studiis pius vir  
 Exigit, pacis sator usque, & usque,  
 Donec extremam properare febris  
     Nuntiet horam.  
 Æger en lecto iacet, en supinus  
 Non solum, sed suspicit usque cælum:  
 Æger inuersi lateris recusat  
     Mite leuamen.  
 Ecce, quis credat? specie tremenda  
 Tartari se offert oculis farelles:  
 Territum, ceu fulmine, Diuus acer  
     Vocibus arcet.  
 Turba complorans abitum, negoci  
 Non nihil cæli cupido facescit:  
 Aureis æger ferit astra fatus  
     Talia dictis.  
 Vrit hunc, fratres, animum querela,  
 Omnia causa graue nil putantem,  
 Si mihi sueto superesse detur  
     Fortè labori.  
 Vror impendi pietatis in rem,  
 Si deus vita mihi filia ducat:  
 Sin vocor cælo, rata sit voluntas  
     Cunctipotentis.  
 Dixit, & cæli, subito volatu,  
 Spiritus liber penetravit axem:  
 Terra dat fletus, resonant olympi  
     Culmina carmen.  
 Carmen auditu, deus ô, suaue,  
 Sed Seuerino, per inane, patri,

Cui,

Personat aurem.

Quale cælestes recinunt quirites  
Iugiter festa pariter camæna,  
*Trifas-* Ter pii sanctum reboante nomen  
*gium.* Numinis aula.

## H Y M N V S . 8.

IN D. AMBROSIVM EPISCOPVM  
Mediolanensem.

**T**V nunc ambrosia, tu nunc & ne<sup>c</sup>tare viuis,  
Atq; refers scriptis ne<sup>c</sup>tar, & ambrosiam.  
Nec temere ambrosiam, signato nomine, præfers,  
O columen s<sup>a</sup>cli, deliciumq<sup>ue</sup> tui.  
Ad pueri cunas, conflato examine currunt  
Ambrosiam labris quæ populentur apes.  
Ad tua nunc etiam volitamus opuscula, succos  
Nectaris hausturi, dulcis & ambrosia.  
Vrbs, quæ de Media fecit sibi nomina lana,  
Foelix, eloquiis pasta subinde tuis.  
Foelix, hæreticæ mala quæ contagia turbæ  
Præfusis aslumti reppulit auspiciis.  
*Medio-* Augusti. Flexanimam doct<sup>r</sup> vim fandi senserat Afer,  
*lanum.* nus Afer. Eloquii reficis quem pater ipse dape.  
Theodo- Cæsar & haud alio cedit tibi nomine, noxæ  
sius. Conscius, & templi limine pulsus abit.  
Credibile est, vlli palpum te obtrudere, qui non  
Romuleis nosti parcere Cæsaribus?  
Si quis consilio, qui rerum polleat vsu,  
Qui quot habet dotes, non habet ille sibi  
Præco sacer, parcusque cibi, somniique, profusus  
Æris, & afflito ferre paratus opem:  
Præco laboris amans, sacras non fundere lassus  
Pro grege Christigenum nocte diéq; , preces:  
Strenuus aduers<sup>e</sup> tolerare incommoda sortis,

Sorte

L I B. Q V I N T V S . 209  
Sorte parum sisus prosperiore sibi:  
Corrector scelerum, diuini assertor honoris,  
Promtus & ingenua pro pietate mori,  
Surgat temporibus (votum deus audiat) istis:  
Et decus, & titulos is ferat Ambrosij.  
At nos interea iactati casibus aspris,  
(Labilis vt mundi tendimus in senium)  
Nocte, dieque, Deum, te premonstrante, canemus  
Admensi faciles, ad tua iussa, modos.  
Tu pro carminibus, quæ milia multa relinquis,  
Carminis hoc, præful candide, munus habe.

*Hymn<sup>i</sup>  
Ambro-  
siani in  
Ecclesia.*

## H Y M N V S . 9.

In D. Basiliu<sup>m</sup> Magnum.

**V**T te suspicio? Basili, qui regia fundis  
Verba? tibi Rex Æneadum virtutis honores  
Inuidet, exiliique parat conscribere multam.  
Ecce furore amens, pennas rapit, atque papyrum;  
Et perarare notas, funestaq<sup>ue</sup> verba laborat  
Incastrum: scelus hoc nam sella soluta refugit.  
Atque iterum attentat, frustra succedit arundo  
Tertia, quæ nullis figat vestigia sulcis,  
Sed mediæ innitens rimis hiet æquore ceræ;  
Aula superuacuum miretur & ipsa laborem,  
Indignansq<sup>ue</sup> manu princeps abrumpat vtramque  
Chartam immortigeram: furosa insomnia certe  
A cœptis poterant auertere, læua nisi mens  
Præcipitante simul renuisset funere verti  
Prolis & vnigenæ, quæ spes foret vnica regni.  
His tua nec deiecta gradu, vir maxime, virtus,  
Sed vultus hilares, & fortia pectora contrâ  
Obijciens, coram nec Cæsare vera profari  
Addubitas, nec Cæsareo prætore. minatur  
Iste tibi mortem; tu maturare rogabas  
Absque minis, veritus fraudari morte cupita

Cc

Iam toties,

## H Y M N O R V M

Iam toties, ægroque trahens in corpore vitam  
 Inuisam, præ deliciis cælestibus, in quas  
 Ocyus inferri tam longo tempore anhelas,  
 Corpoream subigens hoc ipso nomine molem  
 Prætenui vietu, exercens ieunia siccā,  
 Quæ studium pernox, & iuncta precatio sæpè  
 Excipiat; ne præteream quos luce labores  
 Strenuus exantlas in commoda publica, plebi  
 Fertilibus scriptis, & viua voce magister,  
 Omnibus exemplar morum venerabile primus  
 Cœnobij ad rectam veteris corrector amissim,  
 Æquiparans superum mortali in corpore vitam,  
 Dum cute rugosa, vix osse rigente superstes  
 Eluctantem animam superas efflaris in auras.

Nunc te perpetua mutare quiete labores,  
 Exilium patria scimus, pace aspera bella:  
 Redita gratiamur mortalibus otia curis,  
 Otia quæ nullo circumlita felle voluptas  
 Tingat amarescens. quin hæc tibi cura remansit  
 Delicijs nihil officiens cælestibus, arctis  
 Rebus ut afflictos solari, attollere lapsos,  
 Subtrahere & fontes æterni (quod facis) iræ  
 Numinis aæceleres, superumq; adjugere mensis  
 Magne pater Basili, fœlix, faustusq; per æuum.

## H Y M N V S 10.

In D. Ioannem Chrysostomum.

TE temulenti, vel malè 'carperint  
 Te feriati, prandia fortiter,  
 Conuiuii & fastidientem  
 Lautitias operosioris.  
 Rodant eidem difficilem, asperum,  
 Præfractiorem moribus, impotem  
 Et pænè mentis, quod coërces  
 Feruidior malefacta Cleri.

Hæ sunto

## L I B. Q V I N T V S.

Hæ sunto dotes magnifici patris  
 Qui ciuitatem sic bene principem  
 Formet, pio gratus cuique,  
 Non ita sed facilis scelesto:  
 Chirurgus acer, qui putris vlceris  
 Præcidat oras, qui saniem sagax,  
 Fœlicitérque audens repurget  
 Orbiculante cauo latentem.  
 Seuerianum dogmatis impii  
 Pellis satorem mœnibus arduis,  
 Eudoxiæ nusquam minacis  
 Fœminea tremefactus ira.  
 Bella hæc prioris causa sit exsili,  
 Vrgente patrum concilio nefas:  
 Certè peregrinis vagantem  
 Plebs melior reuocauit oris.  
 Enata causa est posterior, nihil  
 Dispar priori: tu peragi abnus  
 Eudoxiæ argento nitentes  
 Fusilia ad simulacra ludos.  
 Sperni dolens se foemina, acerbius  
 Exasperata est, exilium & tibi  
 Cudit secundum, mox coacti  
 Conciliis placitis abusa.  
 Spectata virtus tempus ad hoc tua  
 Latè enitescit, linguaque fulminat;  
 Chrysostomi dein vniuersum  
 Aurea scripta volant per orbem.  
 Ne sacrosanctus depereat labor,  
 Si forte pithus blanda pereffluat  
 Medulla, Byzantii stupentes  
 Detinuisse potens colonos:  
 Ut debeat gens postera & hoc tibi,  
 Sele expolitam vocibus optimis,  
 Mutis licet, donec salutis  
 Et redeat caput, & magister.  
 Nunc si quid audis vota gementium

Cc 2

*Seuerianus hereticus.*  
*Eudoxia.*

*Caelo*

Celo reposus, post grauis exili  
Binos labores, immori da  
Hisce tuis, pater, institutis.

## HYMNVS II.

IN D. GREGORIVM NYSSENUM,  
*Basili magni fratrem.*

**T**E, Nyssene, canam : laus hæc non infima, fratrem  
Germanum magni dicere te Basili.  
Implesti plures, nulla re inglorius, annos:  
Maior eras natu, funere posterior.  
Ducta tibi si sit (dubij scriptoribus) vxor,  
Haud titulis labes illita coniugij est.  
Fandi vberima vis excocta labore secundo  
Egregium templis attulit artificem.  
Nyssa dedit nomen, Nyssæ tu sacra ministras  
Pabula, post fratrem pabula Cæsareæ.  
Quam tremit hæreticus, tam te pia turba veretur,  
Nyssenique sui nomen ad astra vehit.  
*Eunomius* Eunomium viuus cœpit proscindere frater;  
hæret. Funera post fratris conficis Eunomium.  
Quos non sponte subis terraqué, mariqué labores  
Osor & hæreticæ pestis, & exitium?  
Tu tandem exilio patriam pro tempore mutas:  
Haec tenus hostilis te premit inuidia.  
Quam bene fraterno succidis, Diue, labori!  
Orbis & inceptum perficis auctor opus.  
Audax hinc retegis Solymi speculator amores  
Regis, & opposito pariete colloquia:  
Dehinc aperis, mundi quam vana fluentis imago,  
Quid malè prouisæ mortis & hora ferat.  
Audes nec temere, post scripta illustria fratris,  
Edere sinceræ virginitatis opus.  
*Hexae-* Quid fuit, & bis sex opera imperfecta dierum  
*meron.* Gnauiter admota perpoluisse manu?

Longa

Longa foret series operum texenda canenti:

Plurima sed tenebris nox premit, aut carie.  
Quæ, labor vnuſ erat scribenti, quæque loquenti,  
Nunc tibideliciū est, gloria, vita, Trias.

## HYMNVS 12.

IN D. GREGORIVM THAVMATURGV M,  
*hoc est, miraculorum effectorem.*

**F**VLserit hæc sine nube dies, sine labe serenum,  
Et placidum spirent, pulsis Aquilonibus, auræ:  
Atque age compressio maria alta fragore filescant.  
Excipe, terra, graues passus, assurgite montes,  
Progrediente viro, celi cui summa potestas,  
Sedibus ex primis detrudere grandia saxa,  
Excussoſque aliò magna vi impellere montes,  
Largitur, seu collibuit, frænare ruentes  
Altis ex scopulis fluuios, seu fortè, cruenti  
Litigij causam, prece deficcare profundum,  
Et grauibus rastris submittere pingua terræ,  
Insueta cupidum quæ fertilitate colonum  
Exhilarent, quæ sufficiant violaria pratis,  
Iamque recens natæ frondosa cacumina filuæ:  
Ut quibus ante locis trepidas vix anchora naues  
Fundarit, densæ, fugituo gurgite, villæ  
Surgant, finitimas, solamen dulce, per vrbes.

Quid non efficiat, cui det regnator olympi  
Maximus in stygias haud evitabile pestes  
Imperium, possessa diu delubra relinquunt  
Exturbatæ adytis, indoctæ ferre precantem.

Quod mage sit mirum, dictis præsto ocyus adfunt  
Lucifugi vtiores, si quis fortasse molestus  
Obueniat diuo: sensit muliercula, sensit  
Audax blanditiis, gestu, sermone procaci  
Sollicitare pium, labémque adsperrgere famæ,  
Si cælestem animum Iuuenis, si pectus Iesu

Cc 3

Deuo-

Deuotum, queat impuris succendere flammis.

Ecce inuersa ruit, stygio correpta furore,  
Intorquētque oculos, spumas agit ore cruento:  
Vngue fero lacerata genas, disrupta capillos  
Horrisicum stridit, rumpitque auras v lulatu.

Iste ex aduerso, quanto infremet acrius illa  
Vocibus insanis, tanto vehementius orans  
Cælo animum, cæloque oculos intendit, & ambas  
Complicat, alternatque manus, finemque precandi  
Non pius ante facit, mulier quām libera priorsus  
Euomat obfesso scelerosam pectore pestem.

Æstimat Omnipotens tanti, præsensque tuetur  
Pontificem magnum, sacris quem destinat aris,  
Sublimi & cathedræ doctorem, qui dare leges  
Cæsareæ tanto successu nouerit vrbi,  
Ut qui terrenos veniens deprendit ibidem  
Vix benè Christicolas, sublatus morte relinquat  
Vix totidem, qui diis faciant sacra impia mutis.  
Non leuis hoc etenim momenti, habuisse magistrum  
Noctis, Ioannem, Christi cum matre, per vmbram:  
Atque per alloquium (sic virgo rogabat) amicum  
Dogmata nocturnis haussisse salubria visis.

Quid verò te Christiparæ, sanctissime Präful,  
Tantum conciliat, nisi quod purissima purum  
Allegit in multis Iuuenem, castissima castum?  
Effigiemque sui probat, ac amat instar Iesu?  
Hinc tibi conductus per eam præceptor amoris  
Magnus Ioannes, quicum caelestia, sensu  
Arduus euincas, qui seftatoribus Arri  
Exitiale vigil rapias ex ore venenum  
Strenuus assertor Triadis, qui fortia dicta  
Prodigiorum opifex signis fulcire labores,  
Quæ maiora suis Christus prædixerit olim  
Exoritura, fides dum fundamenta locarit  
Magna satis. Nunc prodigium te poscimus vnum;  
Et solenne: Reos mortalibus exue culpis,  
Auerte infidias, & vim cacodæmonis atti:

Saxa, viæ salebras complana, aut longius effer;  
Auxiliator ades, per tot discrimina vitæ,  
Perque graues casus, ceu cæca per equora, vestis.  
Da Triadem scire, & profiteri pectore puro,  
Æternique fidem concludere laude triumphi.

## H Y M N V S 13.

I N D . G R E G O R I U M  
*Nazianzenum Theologum.*

S I litterarum tollere laudibus  
Fas est, Poëtæ, dicate carmine  
Et legibus metri solutum, &  
Dicite Gregorium poëtam.  
Fandi magister grandiloquus graui  
Surge ns cothurno, carmine lauream  
Non disparem, parteis per omnes  
Ingenii, hauddubie reportat.  
Æquare cælo si Basili licet  
Laudes beatas, iure peroptimo  
Virtute vix quidquam minorem  
Hunc canimus Basili sodalem.  
Quid sacra Diuo pagina debeat,  
Nomen fatetur Theologo inditum  
Interpreti, quo glorietur  
Post Hieronymus & magistro.  
Hoc ipsa Constantinopolis tumer  
Nullis tacendo Präfule sacerulis:  
Auctore quo magnis venenum  
Moenibus ejicit Arrianum.  
Quo gratulatur se patre, nunc deo  
Demum renatum, quæ ter, & amplius  
Foelix futura est, si docenti  
Cauerit inuidiam nocentum.  
Olfecit istas infidias sagax  
Antistes, audit Cleri odium tenax:

Clarissimam spartam relinquit,  
Dissidii, & metuens procellæ.

Iactura nostri sit leuis, intonat,  
Si sit saluti Præfus exitus:  
Iam iamque tempes̄ta coorta  
Gregorii exilio silescat.

*Sasimi.* Qui Sasimorum præfuerat sacris,  
Hinc Nazianzi, iam senior pater,  
Ut postulat res, Nazianzi  
Pontificis repetit labores,  
Quām ferre vires corporeæ diu  
Saltem valent: namque otia pristina,  
Rurisque secessum fecutus  
Occubuit saturatus æuo.

Post longa vitæ tēdia, post graues  
Æstus laborum, sollicitudines  
Et scriptioris non remissæ,  
Sedibus æthereis quiescit.  
Quām dulce carmen flebilis elicas  
Pressus malorum pondere, & vberem  
Non optime nato poëtæ  
Materiam mihi subministras?

*Threni Gregoriani.* Quid? cum ferox dux in Belian ruis?  
Seu marte aperto prælia congerit:  
Seu te appetit vix præparatum  
Retibus insidians dolosis.  
Impune nec te blanda caro, improba,  
Pellaxque Siren marte laceſſijt:

Excepta durè, ceu meretur,  
Abſtinuit fugitiua pugnis.

Quām faſtione & ſcriptor idoneus  
In bella cogis diſſimiles duas,  
Victorię ut ſic consecutæ  
Virgineo ſtet honos pudori.  
Quis dira Christi vulnera? quis crucem,  
In forme letum, doctius exprimit,  
Ceu penicillo? Quis reponit

Christiparæ melius dolores?  
Quis prædicauit magnificentius,  
Quis nominauit vel reverentius  
Nomen Dei rerum parentis?  
Quis Triadis, Sophiæque nomen?  
Quod nunc remota nube vides, Pater,  
Quod nunc beato carmine concinis,  
Audire da, terſisque tecum  
Luminibus propius tueri.

## H Y M N V S 14.

*In beatum Ephram Syrum.*

E Vge, quid hoc, quod fama canit per rura, per vrbes?  
Ephræmo ſupera allapsum de ſede volumen  
Inſigne, effulgens auro? quod bractea diues  
Vndique conſpicuo latè circumdet amictu?  
Scilicet ex tali promiſſe volumine multa  
Prodiderint Graij, dum laudant graia loquentem,  
Tradiderintque Syri patriæ in præconia linguae,  
Ut ſit vtrisque aurum, & (ſi quid preciosius auro)  
Quidquid ab Ephræmi diuinum profluuit ore,  
Humanos ſenſus quod ſuffuretur vtrisque.

Accede, ô Basili, testis pro milibus vnuſ  
Integer, haud vanus, patiens nec cedere regi,  
Si quidquam fidei detractum exegerit, acer,  
Summus & affertor, vel mundo iudice, veri.

Quis tibi viſus hic eſt, arente eductus eremo?  
Quæ ratio vitæ, &, gestu ſub ſimplice, morum?  
Et quid dulce oculi vigiles ſub fronte ſerena?  
Atque, age, quis viſus torrens, quæ gratia fandi  
Per populos? Hunc tu primarius ordine pastor,  
Admiratus opes animi, ingenijque feracis,  
Prælegiſſe iubes vrbī cæleſtia ſcripta:  
Et licet inuitum, ſacra ad mysteria cogis,  
Presbyteri iuuenem Præſul dignatus honore,

Dd

Abſtineat

Abstineat sacris quidquid submissior aris.

Sed libet affari simul & te, ô cultor eremij,

Cui rigidas inter cautes, praeruptaque saxa

Continuum rapidis Christi iecur ignibus ardet.

Tu licet in socios, per agrestia tecta, calores

Æthereos spargis, sacri iaculator amoris:

At Basili monitu, non linquis tesqua grauatum

Cœribus vtilior populosis doctor in vrbe.

Instituisse rudem populum, & fulcire labantem,

Mentibus & gelidis pigrum excusisse veternum,

Abiectos solari animos, terrere feroceis,

Atque aperite viam cælo, tibi maxima cura est.

His iuuat & totum impendi, ne quis tibi viuo

Æquandus veniat, duro qui pectori fletus

Aptius eliciat, largo qui flumine vultus

Roret verbipotens, scelus agnouisse nefandum

Largitus, veterisque reis contagia culpæ.

Ne sit apud quemquam Christi patientis imago

Tristior, horribiles dantis sub funera poenas,

Terrigenas propter ferrato pectori fontes.

Qui referat mundi inuersam sub tempora scenam

Vltima, commissis rabiosum fluctibus æquor,

Montibus & montes collisos, saxaque saxis,

Solémque insueta obductum caligine vultus

Compare cum luna, & passim lapstantibus astris:

Qui reuehat lucem dictis violentus acerbam,

Terra parens rupto fundet qua viscere foetus

Iudicis ante pedes, quorum pars debita cælo

Astra subibit ouans, arcisque patentis olympi,

Altera pars durum infrendens queritetur, auerni

In præcepis ruat, abstruso inuoluatur ab igni,

Luctificis caritura deo sine fine sub vmbbris.

Magne Pater, lectu hæc nobis horrenda relinquis,

Et scelere abterres, & corda immunda refingis,

Mille modos versans scitè, ardentérque loquendi.

Nunc quoque siderea foelix si sede quiescis,

Et miseros quidquam aspectas è cardine cæli,

Discere da Christum, da corda calescere, quo tu,  
Quo similesque cui æterno flagratis amore.

*In D. Joannem Damascenum.*

Q Vi monstrauit api carpos sed pollice flores

Innocuo, in eellæ commoda subuehere;

Qui stipare & apem docuit liquentia mella,

Ordine digestis condere & illa fauis,

Ille Damascenum libris toto orbe petitis,

Vndique conflatum fingere iussit opus.

Mellilegus planè est, fucos genus omne perosus,

Pungere & hos fixo doctus aculeolo.

Dente theonino patris huius rodere famam

Qui volet, argutam dente lacestat apem.

Vos quibus est melior mens, dulcia carpite mella,

Qualia non vsquam sedula figat apis.

Barbara quantumuis sit, vt est, Agarena propago,

Mirificum stupuit non semel artificem.

Mater & hunc Christi quanti facit, indicat, ipsi

Deproperans sectam restituisse manum.

Volue Parallelæ, ô lector studiose salutis,

Impiger & quæ sint, ordine dilce, Dei,

Fundamenta locent, metuentes damna ruinæ,

Queis stet decidua mole superba domus.

Omnia namque ruit tempus tellure sub ima;

Noster hic at cælo tutius ædificat,

Fundamenta locans fidei certissima, quæ vis

Non ferat hostilis, non ferat vlla dies.

Longior est series scriptorum effusa per orbem,

Indice comprehendi quæm breuiore queat,

Multa latent nondum latiali redditæ lingua:

Multa veteroso deperierte situ.

Illa bono tantum nostro fortasse supersunt,

Omnipotens voluit quæ superesse Deus.

Carmina, olorino cecinit quæ gutture, viuant:  
 Dulcia, laus Mariæ, carmina, lausque Dei.  
 Ominor hisce modis lanum proludere, Iani  
 Succinat angelicis dum pia Musa choris.  
 Obsecro per Christum, per Christi, Diue, parentem,  
 Quos tibi tam multo carmine concilias,  
 Si tibi dulce Deum est cecinisse, Deique parentem,  
 Me me auditorem carminis, oīcen, habe.

## H Y M N V S 16.

*I N D. SYLVESTRVM PONTI-*  
*ficem Romanum.*

**Q**uemnam tiara conspicuum, & pedo,  
 Quemnam ore, vultu, consilijs grauem  
 Soracte, pccnas post cruentas,  
 Christigenumque cruces remittit?  
 Ergò rediectis saltibus abditus  
 Cedis furori, maxime Pontifex,  
 Et te Dei nutu reseruas  
 Rebus Apostolicum secundis.  
 Possis libens, cum sanguine fundere  
 Vitam fugacem, qui tamen à Deo,  
 Aut à Tyrannis præstituto  
 Vertice delituisse præfers.  
 Non otiosis tempora languida  
 Nugis, frequenti sed prece conteris,  
 Et comparas hanc vim, expeditaque  
 Hos animos in utrumque tempus.  
 Nemo salubriterinxerit aptius  
 Iam præparatum flumine Cæfarem,  
 Ut maximum formet monarcham  
 Romuleæ moderator virbis.  
 Tu fortiter das iura pecunie  
 Per continentes præco iubens manus  
 Causam malorum ferre templis,

Chri.

Christiadumque adytis honorem.

Auro renident templa, tholi, cruces,  
 Natusque sacræ lētitiae calix :Hæc inter at Præsul modestus,  
 Pauperiemque tenens auitam,  
 Multo enitescis clarior, & decus  
 Rarum addis auro, moribus optimis:  
 Quali arte palam prænitentem  
 Indita gemma venustet auro.Nunc ipse Divis additus emicas,  
 Idemque multo lucidius iubar  
 Huc adiicis, mortalis oræ  
 Quàm vigilans soleas colonus:Caliginosis luminibus modo  
 Haurire lucem non pigeat: neque  
 Nos obdimus lucis fenestras  
 Ad radium malè peruicaces,  
 Ex sole Christo, dum tenebre premunt  
 Orbem sepultum, non minimam rape  
 Lucem, rudes proseminandam  
 Per populos, pater, obsecramus.  
 Heu vera falsis, atque pia impiis  
 Mutare cæci pergitus, aureæ  
 Paci obstinate præferentes  
 Exitiale nimis duellum.Auctore si te corde hominis fugit  
 Intus strepentum turba libidinum,  
 Mens cuilibet tum conquiescat  
 Liberior, sine amore nummi.

## H Y M N V S 17.

*In D. Damasum Papam.*

Pontificum vitas Damasus conscripsit: an equum est  
 Turpiter indictum linquere Pontificem?  
 Haud ita: Nam titulos facile noménque tuetur

Dd 3

Et sa-

Et sacræ, & Latiae conditor historiæ.

Ille sepulrali functorum carmine sanctos

Condecorat manes, & pia busta pius.

Iudicio pollet sano, vir pectore sanus

Qui Stridonensis scripta latina probat,

Quique legi mandat, festa plaudente corona,

Formandis hominum commoda sensa animis,

In dubio palma est, vtri plus debeat alter,

Vt colit alteruter fidus amicitiam.

Non semel, aut leuiter contristat apostata Cæsar

Alleluiam misero tempore Pontificem.

Insignem meritis, res est tristissima, causam

Concilio in magno dicere adulterij:

Atque refellendis dare tempora longa pudicum

Obiectis, aures & tenuisse virum.

Arguit & mores, & vitam labe carentem,

In delatorum pena retorta caput.

Vir pius ut vitam pietatis honore perornat,

Munifico sacras sic struit ære domos.

Ardua Davidicis resonant quæ templa camœnisi,

Concelebrant laudes, Praeful, & ipsa tuas.

Hocce tuum inuentum est, quo tristia peccata mulces,

Eijs & sacræ dæmona quemque locis.

Addita sub fine m̄ psalmi cuiusque coronis

Testis erit, Triadis quo, Pater, igne cales.

Gloria Pa Par Patri, Nato sit, & huius & illius auræ

stri, & Filii, &c. Gloria, sit soli gloria sola Deo.

## H Y M N V S 18.

IN D. HIERONYMUM STRIDO.  
sensem Presbyterum.

T'E varij, nulloque, Hieronyme, fine, labores  
Acriter exercent, trino sub Numine, & uno:  
Seu tenerum molli obducat lanugine mentum,  
Seu fortē firmata virum te fecerit ætas,

Siue

Siue cutem rugis perarauerit ægra senectus

Conanti vetulo totum contingere saeculum:

Ad quod inexpletum morienti tres tibi ternæ

Deficiunt hyemes, totidem, post frigora, messes.

Certamen tibi, Diue, triplex toto ordine vitæ

Suscipitur: te te aduersum, fortissime tiro,

Conferis ipse manus, & misces prælia tecum,

Esuriem, & longa indicens ieunia carni,

Præcipua affectus animi premis arte rebelles,

Multa gemens inconsultæ commissa iuuentæ,

Omnigenas labes lacrymarum diluis imbris.

Bella tibi in Cleri corruptos altera mores,

Bella in avaritia, luxuque, gulaque solutos.

Deliciis infame genus proscindis acerbè

Impatiens puram traduci religionem

Degenerante sacro studia in contraria cœtu.

Hinc odia, hinc rixæ, & ruptis insania habenis

Censorem in rigidum, læsa bacchante caterua.

His super, è Roma, melius discedere visum est,

Otia docta sequi, placidam prouisere eremum,

Quæ studii causa, paucos admittat amicos.

Portio parcacibi, leuibus sunt otia nugis.

Nulla, soporiferæ nec tempora debita nocti,

Haud minima in studii decisa parte labores.

Alternis precibus iunctissima lectio, quidquid

Corporeq; sensim vires, stomachusque labascat.

A manibus famuli vigiles, euoluere libros,

Dictata excipere, & fidis committere chartis,

Doctorum manibus totum rapienda per orbem,

Quæ pueri ediscant, patres, patrumque nepotes.

Hos inter placido spectabilis ore magister

Eruta continuis pandens oracula curis.

Ornatu latio, lingua astipulante pelasga,

Præsidio Hebrææ, centum post tædia, linguæ

Legitimum partiris opus, pensumque ministras

Nunc his, nunc illis, nocturnum, siue diurnum.

Laudas hortator benè gestum, carpis amicè,

Siue secus:

Am-  
menses.

Sin secus : increscunt animi stimulante magistro,  
Officijsque suis perfungi quisque laborat.

Gothica postremo hoc certamine vista recedit  
Barbaries, tenditque manus, & foedera poscit:  
Obruitur nigris lucem auersata tenebris  
Doctorum temerare audax inscritia chartas.

Fama citis quaquà versum volat excita pennis,  
Atque tuas laudes verax æquare canendo  
Aggreditur, quacunq; potest: gressum inde retorquens  
Hæc eadem summae celeri pede nuntiat vibi,  
Vrbe procul florere virum, cui pectore in imo  
Confideat sophiae genus omne, & copia fandi,  
Quod premit arcano diuinus codice Moses,  
Fatidici quæ de Christo cecinere Prophetæ,  
Præconēisque alij, moribundo corpore septum  
Qui Seruatorem recinant à morte sepultum,  
Carpere vitales, multis sub testibus, auras,  
Vique polo propria inuestum dominarier astris.

Hinc te Romulidum magna ad delubra sacerdos  
Euocat, & quamvis seros molitur honores.  
Hic rutilum crinem admirans, incanaque menta,  
Virtutem, variasque tuas canit ordine dotes  
Milibus in mediis procerum : te hinc omine fausto  
Presbyterum pater inducto ceromate inungit,  
Sublimèmque loco statuit, gratante senatu.

Hæc ita non multis fuerant perfecta diebus,  
Quum te magnifica memorem piget vrbe morari  
Deserti nuper studii ; seu splendor honoris  
Te minus afficiat, strepitus vulgi, atque negoti,  
Forsitan aut æquo plus laxa licentia vitæ.

Te desiderium Bethlemæ scilicet vrbis  
Incessit, stimulat cultu præsepe sine villo,  
Augustum tamen, & vili cunabula fœno  
Strata, quibus primum vagit ter Maximus infans,  
Qui mare, qui terras, qui fulmine terret olympum.  
Illuc cura subit proficiisci, & figere sedem,  
Accuruumque solo aduolui, quo planta tenella

Leniter.

Leniter impressit vestigia dulcia Christi.

Bethlemæ sperata subis iam moenia, iamque  
Roma tibi sordet, decedit pectore Roma:  
Hospitijs frueris noctesque, diesque cupitis.

In reliquæ vetulo solamen amabile vitæ  
Dulce tibi, hic noctis reminisci tempore noctem  
Qua Devs intactæ prodit genitricis ab aluo  
Humana sub carne: iuuat concentibus aures  
Præbere æthereis, canne te carmina mulcent  
Et pastoritæ, quamuis rurestria. Scis, cur  
Thure Deum, regemque auro, myrraque salutent  
Mortalem Æthiopes, hominem, regemq;, Deumque,  
Nobilibus scriptis toties, & voce professus.

Bethlemæ tibi sed posito nec lumina fallunt  
Alterutri montes, seu quo cadit hostia Christus  
Nudus, & informi distentus brachia truncō,  
Seu quo siderea vehitur rediuiuus ad arces  
Viator, agens dites, ab acetbo funere, prædas.

Sancte senex, his te exerces sub tempora mortis  
Proxima, stellantiq; viam meditaris olympos,  
Non minima in terris animi iam parte beatus.

Nunc cùm sub pedibus nubes, & sidera cernis,  
Remur in has humiles te flectere lumina terras  
Plurima mortalis miserantem incommoda vitæ,  
Et meminisse viam qua te Deus intulit astris.  
Si tua, sique tui legimus vestigia Christi,  
Auxiliatrices scandulis aëra vastum  
Porridge, Diue, manus, cælique adiunge triumphis.

## H Y M N V S 19.

*IN D. AVRELIVM AVGUSTINVM*  
*Hipponensem Episcopum.*

**H**Vc ades ad meritum, Præsul celeberrime, carmen,  
Aurelius fuluo seu nomen ducis ab auro  
Aureus, aut gemmæ cognomine dignior Indæ,

Ee

Seu

Mons  
Caluaria.  
Mons  
Olineti.

Seu magis Augusti lætaris nomine, faustus  
Alteruter venies huc nomine, faustus utroque.

Te pius haud temerè sipientem dixerit Afrum,  
Non tam natu quo te Africa torruit æstu,  
Quam quod inexpleta discendi plura teneris  
Vtque siti. Ingenuas primū procurris ad artes,  
Æquæuos laude ingenij, improbitate laboris  
In patria, spatio ingenti post terga relinquens,  
Et patriam demūnū, patriis sipientior aruis,  
Perlitus ante tamen, celebri Didonis in urbe,  
Omnia dum gustas, Manichæi labē veneni,  
Dissimulante Deo: sensim labentibus annis.  
Ne desit, supero perfusus lumine mystes,  
Hæc sceleratorum qui conscius orgia vulget,  
Nudet & obductas pietatis imagine laruas.

Intereà tanto stupefacta est rhetore Roma  
Expromtum ingenium mirata, artemque loquendi,  
Astea te retinere nequit complexibus ullis

*Medio-  
lanum.* Ad Mediæ raptim properantem mœnia lanæ.

Illic Ambrosij fundendum nectar ab ore  
Te manet, ille sitim illimi de fonte leuabit,  
Ne quid ab imputis cogare haurire lacunis,  
Qualibus exundat fallax doctrina Sophorum.

Accedis timidus primis congressibus, inde  
Fis propiorque viro, dum pectoris æstus  
Colloquijs retegas comes indiuultus apertis.

Iamque dies aderat, sacro quo fonte lauandus.  
Exueres veteris sordes, & crimen Adami.  
Fit strepitus, tota concurritur æde, lauacri  
Legitimos ritus prospectant vndique ciues:  
Hæc vbi facta, præit contenta voce face rdos

*Te Deum  
landamus* In numeros alacres, cui succinit Augustinus:  
Testudo populi respondet vocibus, Amen.

At nunc ante oculos loti, sub imagine fusca  
Iit patria illacrymans, Manichæi infecta veneno,  
Multæ querens, quæ subsidium depositat alumni,  
Pronaque in exitium, iuueni tibi pectora turbet.

Omnia

Omnia dum reputas, & voluis singula tecum,  
Cedendum patriæ censes inflexus amori.  
Illa breui aduentus ingentia commoda sentit  
Vbere pronentu doctrinæ iurgia, pugnas,  
Inuidiam hostilis fers æqua mente furoris,  
Insuper, & forti decernere pectore nusquam  
Addubitas, nunc hos, nunc impetus arduus illos;  
Fortius & multo tunc, cum tibi crine refulget  
Pontificalis apex Valeri quem senior ætas  
Concessit. quid marte queas, persenxit & Arrè  
Discipulus, quamvis tuimidus Pascentius aura  
Cæsarea, vertit Manichæus terga, nec audet  
Conseruisse manus, Donati cum grege, & armis:  
Qui rationis inops ( nam Circumcellio sicut )  
Graßatur passim violentus cæde cruenta:  
Cuique simul pelagi dedit inconstantia nomen.

Desierat bello fæuire domesticus hostis,  
Hæretico nullas audente attollere criftas:  
Vertis in externos mucronem, muta deorum  
Orbe coli Libyco indignans simulacra, perurges  
Susceptum bellator opus, nec te labor ullus  
Auocat incœptis cælesti Numine fortis,  
Dum tibi gratetur vetulo vacua Africa monstris,  
Africa monstrorum nusquam non mater & altrix.

Ecce autem externis ruit hostis Alanus ab oris  
Gothorum socia arma trahens, populosque feroce,  
Ingeminans luctus ferro vastator, & igni.  
Moxque tuum Hippone cingens indagine longa,  
Obsidione minax premit abiuncto æquore: febris  
Tum tibi anhela quatit, vitæ discrimine, corpus.

Summa dies aderat, cum tu cælestia tantum  
Mente agitans, imoque trahens suspiria corde,  
Quamvis multa tibi fratrum sit cura tuorum,  
Attamen in Christi transferris totus amorem,  
Sensibus incolumis productæ mortis in horam.

Corpus humo, luctum socijs, bona nulla relinquis  
Pauperibus pauper; re nulla, pectore diues,

Ee 2 Condere

*Valerius  
Episcopus.  
Pasen-  
tius.*

*Circum-  
celliones.  
Pelagius.*

*Africa.  
Alani.  
Gothi.*

Condore certus opes cælo, quas nulla ferat vis,  
 Non vitiet caries, non fraus astuta latronum  
 Sublegat. At viuus chartæ commissa fideli  
 Porrigis, in seros quæ transmittenda nepotes  
 Voluantur, longæua polus dum sidera voluet.  
 His hærere iuuat, iuuat impallescere chartis  
 Mortales miseros, vitæ cælestis amantes,  
 Exiliis tristis venantes mite leuamen.  
 Ergò tuis scriptisque faue, populoque legenti,  
 Inspergensque pijs lucemque, & lemna vitæ  
 Pectoribus, tecum satagas attollere olymbo,  
 Quis vitæ exemplum, linquis studijque labores.

## H Y M N V S 20.

*T N D. NICOLAVM MYRENSE M*  
*Episcopum, cinem Pataram.*

EN, tibi faciam, reuerende Præful,  
 Quam deus donat, meditamus odens:  
 Quis tibi dulces modulos, quis hymnum  
 Iure negarit?  
 Tu puer prodes pueris tenellus,  
 Vir viris multo melius, senili  
 Tu senex sanctus cumulata seruas  
 Commoda turbæ.  
 Mater, & nutrix, leue quid querantur  
 Paruulo de te? quid agis? quid horres?  
 Quid puer suatum rehuis papillæ  
 Laetetur mentis?  
 Quæ viri ieiunia fortiores  
 Absque non multo celebrant labore,  
 Te puer primo sciat auspicari  
 Limine viræ.  
 Haud tibi marcer puerilis ætas.  
 Otio, molli neque vita luxu;  
 Non genus, non te videt insolentem  
 Copiarerum.

Gestit

Gestit an quis visere Nicolaum?  
 Hunc domi noctus videat studentem:  
 Sin foris? deprendat in æde sacra  
 Ritè precantiem.

Corporis vilis tibi cura, magnè  
 Maxima est mentis: melioribus te  
 Litteris vnum iuuat optimos sic  
 Addere mores.

Tu tibi rapto monitor parente,  
 Orphano tutor, tribus & puellis  
 Es pater, iacto pater es ter amplio  
 Munere patri.

Fusior narratio forte non sit  
 Tædio. Prostare iubet pater tres  
 Indigus natas: male suada patrem  
 Cogite geestas.

Hoc scelus, sed noui popularis auceps  
 Gloriæ, magno cupias redemptum,  
 Si pia quauis queat arte condi  
 Gratia facti.

Lux obest huic proposito diurna,  
 Nigricans nox aptior est latebris,  
 Optima est occasio semiclusæ  
 Rima fenestre.

Hac volant auro loculi tumentes  
 Tertiū: nil hic genitor moratus  
 Elocat res ter gemina beatus  
 Dote puellas.

Euge ventorum moderator, euge  
 Cuius ad iussum mare consilescit,  
 Cuius inflarunt Pharios potentis  
 Carbasæ cauri.

Ergò quid mirum? Lycijs regundis  
 Praefulem si te Myra concupiscit,  
 Qui feras, nolens licet, omne dextro  
 Numine punctum.

Digna vox antistite, digna tanto,  
 E e 3 Hadenus

Myra.

## H Y M N O R V M

Hactenus vixisse quidem sibi se,  
Nunc sibi deum videat necesse  
Viuere multis.  
Munus incasum tamen hoc capeſſat  
Segnis infandos abolere cultus:  
Ira non templis igitur Dianæ  
Iusta pepercit.  
It, redit, luſtrat, peragrat Myram vir.  
Impiis acer timor; at piis dux:  
Mulcet hos dictis, retinetque læto  
Frontis honore.  
Laus Patris magni, neque parua, laude  
Dignitatis conspicuos vereri:  
Semper infra ſe poſitos amare,  
Temnere nunquam.  
Cui, niſi Diuſi ſimilis canatur,  
Et Deo, quisquis proprij profuſus,  
Omnibus, conſtant benē velle, factis  
Omnia præſtet?  
Vilitas cultus, tenuisque mensa,  
Mens ſui ſpretrix, animuſque lenis.  
Haud viris ſummiſ queat eſſe probro,  
Siue pudori.  
Præſulis non hoc facinus ſilendum,  
Faucibus fontes reuocare mortis,  
Dulce ut elabi eſt laqueis ſolutos  
Iudiciorum.  
Dūm Myræ murus fuerit ſuperstes,  
Laude proſpectos ſibi commeatus  
Efferens, dicet forā copioſo  
Farre referta.  
Nulla Nicxam synodum racobunt  
Sæcla, præſentem neque Nicolaum,  
Artij, cuius prece victa pestis  
Orbe faceſſit.  
Te pius Cæſar pateris honorat  
Aureis, & codicibus, leuari

Corrogans

## L I B . Q V I N T V S.

Corrogans iſtis precibus ruentis  
Imperii res.  
Hic inoffensa ſacer ordo vitæ  
Ductus in viuax ſenium, per orbem.  
Fertur, & viuo tibi poſtque, nomen,  
Fata perennat.  
Adiicis cœlis animam, caducæ  
Sarcinam maſſæ, ſed homo reliquiam  
Quoſlibet curas pepuliffe morbos  
Vnguine odoro.  
Quætimus: Nūm te quoq; cura noſtri,  
Diue, nunc tangat, pietasne priſca  
Torpeat, mundōne cadente lentoſ  
Otia ducas?  
Si frui te deliciis olympi  
Credimus vectum ſuper aſtra, dexter  
Alleua ſaltem virtu grauantis  
Pondere feſſum.  
Supplices, in vota vocatus, audi:  
Sospites ferua, rege fluctuanteis.  
Meptibus cæcis, age, thaumaturgus,  
Inuehe lucem,,

## H Y M N V S 21.

I N D. L E O N E M P A P A M,  
huius nominis primum.

CÆdibus humanis expleri neſcius, ardens;  
Totius in mundi totus & exitium,  
Attila, quur placido timer occurriſſe Leoni?  
Quur animum Romæ vertit ab excidio?  
Formidanda ſacri viſa eſt reuerentia vultus,  
Et ſuadentis iter fleſtere Pannoniam..  
Pontificem geminæ ſtipant hinc inde bipennes:  
Instat enim Petrus, Paulus & enſe minax:  
Hostem perdomuit victor Leo, ſanguine nullo;

Ilique

Attila.

## H Y M N O R V M

Isque triumphator mox tibi, Roma, redit.  
**Genseri-** Non ita post multò, clades premit altera Romam,  
**ons.** Gensericus media dum ferus vrbe furit.  
**Obuius** huic, prohibes incendia, stupra, rapinas,  
**Barbara** demulcens pectora, Tuscæ Leo.  
**Nestor-** Desierant: ceu Nestorius bella altera mouit,  
**rins.** Aspera cum renouat praelia & Eutychius.  
**Eutychius** Plures sexcentis agis ad comitia Patres,  
 Qui geminas pestes, te duce, submoueant.  
 Hinc struis, aut domino delubrum sumtibus ornas  
 Non modicis, vitæ quod breue restat iter.  
 Hæc sunt magnanimi prælultria facta Leonis:  
 Hic stet perpetua laude Leonis honos.  
 Tu, Deus omnipotens, quem vota precésque fatigant,  
 Attila dum nostro plurimus orbe furit,  
 Dum ruit in cædes immiscens fana profanis,  
 Numen habens nullo, nomen inane, loco,  
 Exere te tandem, & furiosos comprime motus;  
 Sentiat aëria nube tonare Deum.  
 Si stygius Christi circumgemit vrsus ouile,  
 Vndique si stygius nos petit ore leo,  
 Huius, & illius vesanos frange furores;  
 Fallere da teetas, da fugere intidas.  
 Hoc, Deus alme, tui precib⁹ concede Leonis,  
 Qua stabili mandas iusta rogare fide.

## H Y M N V S 22.

In D. Benedictum Abbatem.

**A**D numeros dulces, grata quos mente paramus,  
 Adque tuas laudes, ô Benedicte, veni.  
 At quibus è specubus squalēs, quibus hospes ab antris  
 Aduentas, humeros, pectora, terga lacer?  
 Quur horret sanie, cur tabo, & sanguine vultus?  
 Cur pars haud exors vulneris vlla tui est?  
 Tune per vrticas, vepres, dumosque volutus

Indomi-

## L I B. Q V I N T V S.

Indomitæ carnis sic fugis illecebras?  
 Quis metus, heu, desit populoſa per oppida, si non  
 Montibus in solis tuta pudicitia est?  
 Siccine te scopuloſo vertice, confragosa  
 Rupe, Cupidinea te face torret amor?  
 Hæci uenis laus est, sedasse libidinis æſtum,  
 Sanguineo veneris sic lauere amne notas.  
 Tecum habitas, inter fentes, & lustra ferarum,  
 Altori monacho cognitus, atque Deo.  
 Nec sol nube caua obseptus, nec luna manebit,  
 Nec queat illustris vita latere diu.  
 Post ternas hyemes prodis manifestus apertam  
 In lucem, Monachis regula, vita, salus.  
 Ni te paucorum scelerata licentia vitæ  
 Vase venenosο tollere forte velit.  
 Stas contrà impavidus, tacitus rem voluis, obarmas  
 Tēq; manu, obtendens signa verenda crucis.  
 Impietas nil mota cruce est, sed potio: nam mox  
 Traditur in partes diffiluisse calix.  
 Hinc alias superas, deserta cacumina, montes:  
 Septa nouo reparas & duodena gregi.  
 Nescia comprehendи numero miracula, nulli  
 Fas fuerit breuibus concinuisse modis.  
 Præscierit quid mens in te præsaga futuri,  
 Veridicus testis Totila Gothus eat.  
 Quam noras aliis mortem prædicere, & ipsam  
 Ante tibi memorans, quām propè cernis, obis  
 Sponte, tuo illatus tumulo. tenuere sodales  
 Deciduum corpus, sidera clara animam.  
 Æthereæ bini tantum spectacula pompæ,  
 Luſtifico astantum de grege, proſpiciant.  
 Illa volans sensim, rutila nitet aurea palla,  
 Per medias altè conspicienda faces.  
 Præconis resonat vox exaudita per auras:  
 Hæc via, qua cælos hic Benedictus adit.  
 Dulce nimis tales mihi concelebrare triumphos:  
 Iamque diu te mens gestit in astra sequi.  
 F Sis bonus,

Sis bonus, & fœlix, &c, si pia vota secundas,  
Nos simul ad Christi regna beata vehe.

## H Y M N V S 23.

IN D. V E D A S T V M E P I S C O T U M  
*Atrebatensem.*

**V**RBS bellicosa, duris  
Attrita sœpè bellis,  
Nil pertimesce Martis  
In posterum tumultus.  
En ille Leucianis  
Ortus Vedastus oris,  
Tibi nuntiat, tibi fert  
Facundus ore pacem.  
En regis institutor  
**C**lodouij, tibi fert  
**F**rancorū In sœcla restitutæ  
**R**ex. Mysterium salutis.  
Tibi ille fert Iesum,  
Quem scire desisti.  
Idemque dogma vitæ  
Fert, & perenne lumen.  
Quur non id augureris  
Certò, tuos in vñsus  
Nunc auspicata viso  
Gaudere sole cæcum?  
Quur non iter reflexum  
Posthac ad astra tendas,  
Nunc conspicata firmo  
Pede exilire claudum?  
Hec sunt tuis, opinor,  
Portenta visa portis,  
Ne cæca perseueres  
Calleambulare varo.  
Dispar habes nec omen

Vrbem

Vrbem perambulantis:  
Quid vñsus obfoletis  
Templi incubat ruinis?  
Quur vepribus licenter,  
Dumis, rubis inerrans,  
Magno metu, maloque  
Spectantium ferocit?  
Videtis, vt repente  
Nusquam amplius videndus,  
Ceu fulminante dicto  
Magni viri profugit?  
Mores & ille vafros,  
Sœuire contumaces,  
Quales feruntur vñsi,  
Pius pater male odit.  
Luxum, voracitatem,  
Et crapulam perhorret  
Vir sobrius, sœlestum  
Quiduis abominatur.  
Huic excitare templum  
Cura est, laborque primus,  
Symphoniamque ritum  
Laudem Deo canentis.  
Haud sorte pœnitenda  
Inuersa scena apud te est,  
Vrbs Atrebas: loco vñsi  
Habe hospitem Vedastum.  
Verbum Dei per ædes,  
Forum per, & plateas,  
Sacro ore detonantem  
Audire ne graueris.  
Vigilem, laboriosum  
Deus tibi benignus  
Indulget hunc magistrum  
Denos quater per annos.  
Audita multa, Patres,  
Tenete danda natis:

Ff 2

Præcepta

## HYMNORVM

Præcepta rite, nati,  
Transmittite in nepotes.  
Aduersa quæque fortes  
Perferte, Marte clari,  
Et masculum fauenti  
Christo probate pectus.  
Vulpes cauete: gnaui  
Prohibete vim luporum:  
Nil rugientis ardor  
Vos terreat leonis.  
Sic vos Deus statutos  
Cælo beet; diu qui  
Cælo dedit patronum,  
Dat & ducem Vedastum.

## HYMNVS 24.

IN D. GREGORIUM MAGNUM  
*Papam huiusc nominis primum.*

**N**on leuis est operæ, Magnum cognomine, factis  
Et studio vigilem dicere Gregorium.  
Pontificis vigiles oculi torquentur in orbem:  
Pontificis magni surgit ad altra decus.  
Quàm citò seiunctos prospèctat ab orbe Britannos,  
Tam benè löginquá dogmate lustrat humum.  
Tam studet in Christi seruorum commoda seruus,  
Quàm rapido Christi captus amore calet.  
**H**æc pater inseuit pietatis semina nato,  
Et tibi quæ prudens Silvia mater erat.  
**S**ilvia. Tota licet ceris exornes atria, culta est  
Sola tibi virtus, cultus honosque Dei.  
Sunt & opes, & fastosi mala gaudia luxus,  
Otiaque, & vitæ splendida mollities.  
Cuncta times, timidusq; fugis: procul abdita mandrä  
Septa subis; turpat sumpta cuculla caput.  
Dulce, latere putas, tutumque, sed aurea virtus

Exilit

## LIB. QVINTVS.

Exilit, vt tepido lucida flamma foco.  
Ægrum claustra prius videre monastica; vidit  
Sæpius afflictum pontificalis apex.  
Excitat in stomacho morbus tibi sèpè tumultum,  
Excitat in mediis tormenta visceribus.  
Quum tot sustineas, & tanta negotia, & æger,  
Otia scribendis quis putet esse libris?  
Otia scribendo quamvis propè nulla supersint,  
Gregorii volitat plurimus orbe liber.  
Templa alii argento decorarint ardua, & auro:  
Cura tulisse tua est auxilium miseris.  
Te cæcus, te claudus, opem te poscit egenus:  
Gregorii nemo non reuelatur ope.  
His pater es, quos destituit pia cura parentum;  
Tuta tuis viduæ causa patrocinij.  
Omnibus his vigilas, te totum impendis & ipsum:  
Omnibus his viuit, non sibi Gregorius.  
Qui vixisse Deo nulla te fronte negarit,  
Hoc neget obtuso pectore mentis inops.  
Viue. Iuuia precibus populum, studiisque, gementem:  
Viue, Pater, supero viue recepte polo.

## HYMNVS 25.

## IN D. Eligium.

**C**edite Romani sculptores, cedite Graij,  
Et si quis est industria  
His non dissimili, memorandum nomen adeptus  
Per nationes barbaras.  
Prodeat Eligius cælo insignitus, & arte  
Mirabilis sculptoria:  
Non tam francigenum cudat quod vascula regi  
Aut aurea, aut argentea,  
Seu quod imaginibus doctissimus, inque argento,  
Auróque ludat artifex;  
Æthereæ sed quod vasæ aurea finxerit aulæ,

*Calum  
sculpto-  
rium.*

Ff 3

Et cæli-

Et cælitum sacro ordini,  
 Aurea nec tantùm , nec rursum argentea fusor,  
 Sed vasa plusquam gemmea,  
 Queis pater astripotés tumeat, queis summa per eum  
 Colluceant & atria.  
 Haud mirum, Eligius talem si deligat artem :  
 Ut nomini respondeat  
 Præsul, inexhaustam cuius solertia gazam  
 Cæli reponit visibus.

At Simoniacam in primis excindere pestem  
 Laborat, inuisum scelus.

*Nouio-*  
*dunum.*  
*Veroman-*  
*dia.*

O Nouiodunum foelix te præsule tanto,  
 Itemque Veromandia,

Auspice te prauos docti dediscere mores,  
 Ritusque falsi Numinis.

*Neruij.* Neruia gens posthæc, genus acre, domabile nulli,  
 Christi iugum placidè subit.

*Pleumo-*  
*sus.*  
*Centro.*  
*Gordun-*  
*nus.*

Pleumosius, Centro, Gordunnus, & Ambiuaritus  
 Immanitatem barbaram

Ponentes, animumque trucem, Martisque furores,  
 Te te canente classicum,

Inijciente Deo flammandis mentibus æstus,  
 Ad signa Christi conuolant.

Quæ sacra dijs fuerat, cadit icta securibus ilex;  
 Ruunt nefanda altaria.

Dijq; , deæq; omnes, quotquot sunt monstra deorum,  
 Structos in ignes concidunt.

Vnum cunctipotens conclamant omnia Numen,  
 Vnumque Iesum prædicant.

Nunc hic, nunc illuc violentis concita turba  
 Cælum rapit conatibus.

Hos dedit Eligij prudens solertia fructus,  
 Laborque Patris improbus.

Hoc opus artificis cælestum augentis honorem:  
 Hic aurifex , plusquam aurifex.

*In D. Amandum.*

**A** Mande, qui te non amat,  
 Odisse virtutem impiè  
 Pijs viris conuincitur,  
 Eique fibra cornea est.

Oenotriis si contigit  
 Te demorari sedibus,  
 Virtutis omnes in tuæ  
 Pios amorem pellicis.

Idem videtur de tribus  
 Et sentiendum Galliis,  
 Ni Dagobertus exulem  
 Te iussiterit faceffere.

Obtemperas insaniæ,  
 Ut fortitudo sit tua,  
 Animusque vinci nescius  
 His asperis illustrior.

Nam turpiter qui visus es  
 Vertisse nonnullis solum,  
 Gradum retorques gratior  
 Reuocatus, atque clarior.

Rex Francus isti gloriæ,  
 Vel Cælitum potius pater  
 (Suos benignè vt respicit)  
 Dato fauet miraculo.

Rex fonte natum lustrico  
 Dat expiadum Præsuli :  
 Sed lotionis dat Deus  
 Fari puellum tempore.

Non insolescis fretus hac,  
 Nec otiaris gratia,  
 Quantumlibet te principes,  
 Oculis licet te rex ferat.

*Namque*

*Dagober-*  
*tus.*

*Natus*  
*erat dies*  
*40. dun-*  
*taxat.*

Namq; illud immotum sedet,  
 Vitæ tuæ periculo,  
 Disseminare latius  
 Vulganda Christi dogmata.  
 Te præfulem fidissimum  
**Traiectū** Parum equa Traiectum videt,  
**urbi.** Fructu pusillo : nam feros  
**Vascones.** Ad Vasconas te proripis.  
 Vitale dogma tradere,  
 Prodesse & ardes plurimis:  
 Circumforaneis , Dei  
 Tu doct̄or , es ludibrio.  
 Atqui fide nixus,potes  
 Verbi efficacis fulmine,  
 Vbi res, locusque postulat,  
 Serpentem in antrum trudere.  
 Graueolentis orci quælibet  
 Te pertimescit bellua :  
 Praefractiori cuipiam  
 Morbum seuerus incutis.  
 Hostes habere non nouum est  
 Pio : nocere nemini  
 Laus, demereri munere  
 Hostem, mera est victoria.  
 Traducis æxum sic breue:  
 Vir nobilis virtutibus,  
 Vir his amandus artibus  
 Cælum petis, non sanguine.  
 Si nos amas, vt plurimū  
 Tibi nos amari credimus,  
 Largire eisdem consequi  
 Te nos ad astra passibus.

*In D. Aegidium Abbatem.*

**Q** Vi stemma auitum, qui patrium decus,  
 Seruare famam & prodigiis puer,  
 Lucemque vir. atis coruscam  
 In mediis poteras Athenis:  
 Tu stemma auitum , tu patrium decus  
 Fultamque non vnis titulis domum,  
 Virtute laudem comparatam  
 Præposuisse times Iesu.  
 Idem paterna conspicuus domo  
 Horres, inanis gloriolæ aurula  
 Ne cognitos iamdudum olympo  
 Decutiat meritos honores.  
 Ergò proteruis per mare te notis  
 Committere audes; & leuius putas  
 Mergi salo, oppressum procellis,  
 Quām niueos maculare mores,  
 Cristásque cælo attollere turgidum  
 Fama, atque plausu tot popularium,  
 Quām pessimè lenocinetur  
 Stultus amor studiūmque vulgi.  
 Importuosum te pelagus diu  
 Iactauit errantem miserabili  
 Casu ; fides victrix malorum  
 Massiliæ statuit sub arcis.  
 Exceptus vrges propositum tenax,  
 Et rura festino pede Gallica  
 Percurris: vsquam non quiescis,  
 Dùm melius latuissle detur.  
 Quocunque nam te cunctipotens sinat  
 Ferri locorum , illustria prædicant  
 Te facta : morbo vel leuati,  
 Tartareus vel abactus hostis.  
Gg Aspras

Aspras salebras, & caua montium,  
 Rupēsque notas, soliuagus, feris  
     Et lustra cursu collaboras,  
     Et loca transilijsse opaca.  
 Tandem specus te detinet horridum  
 Visu, dehiscens, vepribus obsitum,  
     Pergrata sedes, lenis vnde  
     Sub pede profliente riuo.  
 Quæ fessa duro membra leuat thoro  
 Noctu cubanti, terra famem eximit  
     Opsonio plantæ virentis,  
     Dispare non pretio, & paratu.  
 Cælaris vmbbris, ilicet, abditus  
 Multos per annos : At neque nubibus  
     Obducitur sol semper atris,  
     Nec tacito pietas recessu.  
 Mulgenda quæ fert quotidiane vbera  
 Te cerua nutrix inscia prodidit  
     Venantium vitans sagittas,  
     Inq; sinum fugiens alumni.  
 Quæ cerua prodit, te propè perdidit  
 Dira sagittæ cuspide saucium,  
     Quod Galliæ multum supremus  
     Lugeat adueniens dynastes.  
 Occassione hac mortem obeas libens,  
 Tanta est cupido Regis olympici;  
     Et Cælitum. Nam quur recenti  
     Inuideas cataplasma plâgæ  
 Stillare iussæ? Visum aliter Deo,  
 Qui templa Regis condita sumtibus  
     Per te expetat, sacrisque rebus  
     Progeniem monachon dicatam.  
 Hos inter efflare istam animam velis,  
 Cæloque natum reddere spiritum,  
     Quum talibus, rectaque vita  
     Præfueris, speculumque mortis.  
 Obscura non his indicia exhibes

*Carolus  
Francorū  
Rex.*

Fœlicitatis, sideribus super,  
 Partæ tibi, dans audiendas  
     Angelicæ choreas cateruæ:  
 Inter soluti corpore spiritus  
 Non terminandas lætitias, simul  
     Plaudente, decantante, & astra  
     Aligerò rapiente cœtu.  
 Subiectus illuc si placidus pater  
 Audis canentes, sedulus adiuua  
     (Qua gratia polles patronus)  
 In pia vota Deum vocantes.

## H Y M N V S 28.

IN D. B E R N A R D U M A B B A T E M  
*Claranallensem.*

Cernite, vt arridet lœto spectabilis ore  
     Pulcerimus sodalium:  
 Cernite vt ingrediens totus perspiret amorem  
     Castissimum puer aureus,  
 Optimus, & niveo tam constans pectore, clarus  
     Splendore quam natalium.  
 Hunc temerè mulier, mollisue puella fatiget,  
     Quem vult sibi sacrum Deus.  
 Ignibus æthereis coquitur puer, æstuat, ardet  
     Dei parentis filium.  
 Mortales contemnit opes, contemnit honores,  
     Fallacis & vita dolos.  
 Purus ab impuris mature protipuit se,  
     Ne labo quauis sordeat,  
 Contracta affrictu: mox vili nempe cuculla  
     Inuoluitur sanctum caput,  
 Sanctorum vt lateri non iunctior hæreat vllus  
     Vno, nec obsequentior.  
 Siue domi sit opus faciendum, siue peregrè,  
     Nemo reluctante videt,

Ilia torminibus quantumlibet inuida tardent,  
Stomachi<sup>que</sup> iugis cruditas.  
Non cibus huic (sunt hæc ægro solatia) sumtus,  
Non vllus & latex sapit.  
Sacra modo intentam tenet ad cælestia, mulcit,  
Pascit<sup>que</sup> mentem pagina.  
Gaudia corporeos huic ad mortalia sensus  
Stupere planè dixeris,  
Introrsum refugos, vbi dulcem incensus Iesum  
Voluit, reuoluit, deperit.  
Tantùm pectoribus, tantùm ore eructat Iesum,  
Et scriptione mellea.  
Si canit in siluis, respondet silua canenti  
Referens Iesum carmine.  
Namque nihil templi magis exauditur ab illo  
Cistertij testudine,  
Tantundémque alia, quam suscitat, æde futurus  
Fratrum pater sequentium.  
*Clara-*  
*nullis.* Fœlices nimium claro cognomine valles,  
Nunc clariori lumine  
Illustres, dudum infames cæde, atque rapinis,  
Vmbrosa per ramalia.  
Fama canit passim Bernardum in valle reducta  
Raptare fratres vndique,  
Quos vita egregia, & monitis transmittat ad astra,  
Cælo beundos incolas.  
Qui febres abigat, qui cæcos lumine donet,  
Reddat<sup>que</sup> lucis vsibus  
Extinctos, fuger humano qui corpore pestes,  
Et monstra fæua tartari.  
*Innocen-*  
*tium scz.* Innocuum Romæ fas est debere Quirites  
Huic restitutum præfulem.  
Repressum fas hæreseos debere furorem,  
Et factiosa incendia:  
Id semel, atque iterum, prorsus dum lite dirempta,  
Lares reuusat pristinos  
Prodigiis latè loca complens omnia, amorem  
Vt elu-

Vt elucretur omnium.  
Iam prope mortis erant metæ, finisque laborum  
Prævisa, nec pio se mel  
Exoptata viro, fratribus nisi vota morentur  
Diuersa postulantium.  
Somnus abit, sapor omnis abest potuque, ciboque:  
Edisse quidquam morbus est.  
Humor crura, femur, plantas tumefecit aquosus,  
Quem serpit hydrops in modum.  
Membra, satur vitæ, ponit marcentia lepto,  
Cælum supinus aspicit.  
Multæ piè socios dictis hortatus amicis,  
Effundit auras in leues  
*(tat,*  
Sanctam animam: rapere illa polos celeri impete cer-  
Secura planè præmii.  
Sistit amor fratribus, quos delinire laborat  
Solamine internuntio,  
Ostentisque nouis, ne se, post fata parentis  
Nimio dolore macerent.  
Vnanimes teneant Christi duntaxat amorem,  
Et simplicem modestiam.  
Hæc si, Diue, tenax te sollicitudo sepultum  
Adhuc habet, depositimus  
Auxilium, tam non tepidè, quam dicta libenter,  
Et facta cantamus tua.  
Præco Dei, cultor Mariæ, custosque pudoris,  
Alumne virtutum omnium,  
Nunc quoque sollicitet nostri te cura sepultum:  
Serua, precator, noxios.

H Eus, veto, ne pueri assidue per compita iacent,  
Somnia fallaci temeraria ludere nocte:  
Ista fidem accipiant infirmo in vertice, & ægros

Ludit vbi specie diuersa noxiis humor,  
Obijciens vanas, ficta sub imagine, formas.

Longè alia est ratio, quum maximus arbiter orbis  
Ante aperit multo causas, & semina rerum,  
Proludens certis & fata, & facta figuris.

Fœlix legitimos habitura puerpera fœtus,  
Præuiso & mulier catulo, qui nictibus orbem  
Oris flammam oī incendat, clamosus & acer  
Latratu valido, scelerata omnia qui face vastet.

*Domini-*  
*cus.* Scilicet is fuerit Domini de nomine magno  
Dicitus Iber, quo se Calagura ad sidera tollit.

*Calagura* Ingenio doctrina comes, comes addita utrique  
Virtus, Hesperias perfundit lumine terras  
Agnita, & æthereos calefactis iniicit ignes  
Pectoribus, lateque Dei dispergit amorem.

*Tectosa-* Nec mora, finitimas serpunt incendia in oras:  
*ges.* Gens fera, Tectolages correpti his ignibus ardent,  
Æstuat & misero famosa Tolosa metallo,  
*Tolosa.* Albigio sacrum frustrâ tentante duellum  
*Aurum* Difficili euentu, sed contrâ robore multo  
*Tolosanū* Obuius iuit Iber, præsens cui pectora virtus  
*Albigius.* Excubat, obiectos exantlatura labores.

Hæreticus dat terga viro, non hiscere coram  
Audens vterius, tenebris sese abdit opacis.  
Victor habens toto suspectas orbe latebras,  
Pestiferum affectet lucem ne virus apertam,  
Vndique collectos bellum ad commune sodales  
Accersit, dictis animat, dux imperat ardens  
Fortè renascentes exscindere viribus hydras.  
Ædificat, modicas disponit & ordine cellas,  
Queis, mundi illecebris purgata mente fugatis,  
Ambitione mala, cæcaque cupidine, fratres  
Coniuncti inuigilent prohibentes mœnibus hostem.  
Aptat & ipse nouæ pater indumenta cucullæ,  
Ne quid vestitu leuiter peccetur inepto  
Ijs, quos vult meritis præstare, & moribus aptè  
Compositis, turbamque simul formare sequentum,

Seminis

Seminis ætherei (rurestris culmine villæ,  
Vrbibus aut mediis per templa extructa) fatores.

Dum partes obit ipse suas conamine magno,  
Viua fides, indefesso comitata labore,  
Multæ patri sancto extundit miracula, dictis  
Quæ faciant permulta fidem, coepitisque secundis.

Septima torruerat tellurem solibus ætas  
Sentibus hæreſeon radicitus extirpandis  
Rite impensa Patri, peregrinas currere in oras,  
Præcipueque Asiae [ regna hæc amplissima ] campos,  
Cura subit: retinent diuersa negotia terris  
Profore Christigenum sperantem, parta tueri,  
Præmonitum satius, quam querere dissita regna,  
Successu anticipi, da annoque, maloque suorum.

Hunc terræ, & pelagi fluctus spreuisse tumentes  
Nec fuerit mirum, toties qui obiecerit hosti  
Intrepidus caput, aut iugulum, pro nomine Christi  
Omnibus exoptans votis fudisse cruentem.

Atque ideò, quicunque dies illuxerit orbi,  
Sacrificus libat non enarrabile donum  
Omnia seruantis, sese & vertentis in ipsum,  
Quum specie vesca sumptus gustatur ad aras.  
Nempè quod haud spatio sibi parta cruento negatur  
Laurea, dat pœnas sibimet, de corpore sumit  
Supplicium proprio, teneris sibi fauus ab annis,  
Defraudans epulis genium, placideque sopore,  
Inuigilans precibus, per noctis tempora, fusis.

Ar curare cutem, putri maduisse lyæo.  
Continua ingluwie, & luxu marcere sueti,  
Haud facile credant hunc tergo illidere flagra  
Ferrea, seu carnem metuat, subigatque rebellem,  
In mala siue alios aduertat sponte ruentes.  
Tanta viro pietas, alienæ & cura salutis:

Testis veriloquo pronuntiet ore Rodolphus,  
Se rapuisse grauem ferro post fata catenam  
Corpore ab exanimo, quæ cinctu dura coercent  
Vincia Patris lumbos, obeundæ symbola mortis.

Et nos

Et nos non pudeat moli indulisse tot annos  
 Corporeæ, viuūmque diu fouisse cadauer,  
 Sumtibus & foedos operosis pascere vermes?  
 Peccaui, fateor, numeroso cum grege, ventrem  
 Qui colit, & mundi curas seftatur inanes:  
 Da, Pater, oramus, stultos resipiscere, versis  
 In melius studiis, & iter contendere cælo  
 Cantantes Domini sanctum per sœcula nomen.  
 Sic sis, nec temerè, Domini de nomine dictus:  
 Sic rerum Dominus nos per te ascribat olymbo,  
 Tecum subductos in regna perennia seruos.

*Domi-  
ni-  
cus uoz.*

## H Y M N V S 30.

IN D. FRANCISCV M MINORI-  
tarum Principem.

Q Vis (rogo) discipulus Christi, virtute magistrum  
 Effingit expressissimè?  
 Qui studio Christi flagrans, qui totus amore,  
 Quidquid potest, & possidet,  
 In fratris spargitque sinus, qui quidquid & ipse est,  
 Mortale iam nil cogitans  
 Inque patrem Christi pius, inque refundit Iesum,  
 Haud iuris amplius sui.  
 Cernimus, ecce, pedes imos, & credimus ambas  
 Francisce, te effossum manus:  
 Credimus, atque latus stupidi miramur hiulcum,  
 Visa Cherubi imagine,  
 Pendentem cruce de celsa ad simulantis Iesum,  
 Montana per silentia.  
 Quantus sis, quanti faciat te rector olympi,  
 Aperit modis illustribus,  
 Qui tibi, quæ Nati confixo in corpore amauit,  
 Accommodarit stigmata:  
 Cultus hic, indicio est, Geniti, & Genitoris amantem  
 Fuisse te præter modum,

Qui

Qui sic elicias cælo Genitoris amore  
 Amoribus Nati æmulum.  
 Desino mirari, quur mundi ludicra temnas,  
 Quæstumque mercimonij:  
 Prædia quur cedas patris hoc vrgentis in vsum,  
 Amore Christi percitus.  
 Namque imitatorem Christi te cælibe vita,  
 Candore & inuocentia,  
 Nudipedem, minimique cibi, certo lare nullo;  
 Sparsisque verbi frugibus  
 Nouimus ætherei, selectos denique fratres  
 Exire mille in milia  
 Bis senos, vt Apostolicis, quaqua patet, orbem,  
 Patrem secuti, vocibus  
 Instanter repleant, messem & lucentur opimam,  
 Cælique condant horreis.  
 Interea, tu fortis opum, & contemtor honoris,  
 Sed Christi amator optimi,  
 Summe Minoritas inter, tenue accipe carmen  
 Tuo sacratum nomini,  
 Numine non tacito: calcans pede sidera, habebis,  
 Quam respulisti, gloriam.

## H Y M N V S 31.

## In D. Bernardinum.

B ernardinus adit pueros puer: ora tenete.  
 Bernardinus adest: obsecenis parcite dictis:  
 Lasciuire etenim, monitore astante, negatur.  
 Æui primitiis etiamnùm viuida virtus  
 Tantùm iuris habet, tantùm se attollit ad auras  
 In puer, vt pueros quatiat formidine iusta  
 Peccantes; quidnam factura in vertice cano,  
 Quum surget grauidis prægnantis maturior annis?  
 Ars iuuenis prima est, cuius succurrere egeno,  
 Et proprium ventrem oblata fraudare saburra,  
 Paupere conspecto, rerum cui deficit usus,

H h

Cuique

Cuique famem assiduè malesuada minatur egestas.

Atqui fortius est multò, contagia pestis

Spernere, per lectos, morbo populante, vagari:

Qua se cumque ferat, Senarum in mœnibus altis

*Sene.* Triste malum, clades morientum & cladibus addat,  
Ferre & opem miseris, medicari cominus ægros,  
Lætiferis passim caput obiectare periclis:  
Vtque hominis virtus florentibus emicet annis;  
Qui fuerint præstò, positis de more grabatis,  
Deserta aufugiant omnes statione ministri:  
Per medios spreto solus discrimine vitæ  
Bernardinus eat, vitæque profusus, & æris. (rum

Necdùm exhausta videt patrimonia, sarcina quo-  
Visa humeros Christum sit depressura sequentis:

Prædia diuendit, pretium abiicit, auget egentes

Missilibus donis: ditato paupere, pauper

Lætior exsultat: Tum verò intectus amictu

Afflīj ciuis, communia vulnera Christo

Cui gessisse datum est, sacro sermone laborat

Expolijsse rudes, Christique accendere amorem

Ausonijs sub pectoribus; non angulus olli

Inuius in Latio, dispersi & dogmatis expers.

Dogma salutiferum miracula crebra sequuntur,

Ne toties frustrà, totiesque vocetur Iesus

Pectore quem gestat, plenoque ebuccinat ore

Perpetuus contemtor opum, contemtor honoris:

Ter pater ad culmen qui pontificale vocatus,

Ter renuit mitra caput insignire bicorni,

Cælo, opibusque inhians cæli super astra repositis,

Quæ cariem annosam, nec damna æruginis atræ,

Nec stabili metuant sub posseffore latrones.

Hæc videt Astripotens, ardentia vota secundat

Cælo enitentis, sub amaro fasce laborum,

Ærumna, damnóque cibi, placidiisque soporis,

Iuratæque adeò sub pondere pauperiei,

Firmius ut cæli depositas culmine gazas

Propositum abripiat, cæloque inducat ouantem.

*In D. Ludouicum Francorum Regem.*

**A** Deste, in ostro fulgidi  
Reges, adeste Principes:  
Fauete Regis Franciæ  
Nunquam silendis laudibus.

Sim præco vanus, optimæ  
Si non tenor vitæ optimus  
Plenissimè respondeat  
Exordiis pueriæ.

Proudit hoc mater pia,  
Annis puelli ut mollibus  
Insanientis sæculi  
Abarceat contagia.

Ductu parentis indeoles,  
Doctoris & celeumate,  
Assurgit ad verum decus  
Inter choros æqualium.

Oliua qualis, confita  
Campis apricis, explicans  
Ramos in auras, vberes  
Fructus colono spondeat.

Iam scepta gestat regia;  
Insignibus suis honos  
Virtutibusque regiis  
Implet coronæ circulum.

Nil intumescit purpura,  
Gemmisque fulgurantibus,  
Qui se lutum rex cogitat,  
Letoque rex obnoxium.

Seruit decoro rex quidem  
Cultus honesti schemate:  
Sed intus astrictam cutem  
Cilicina vestis atterit.

It sericatos arduus  
Inter monarcha principes:  
Virtute, verboque expolit  
Aulam pius didascalus.

**Vincenna**      **Vincenna**, quæ Lutetia  
Prospectat alta moenia,  
Regem stupet potentibus  
Ius haud grauatum reddere.

Dicto audientes perbreui  
Rex experitur, qui prior  
Obaudiendi legibus  
Necessitatem fuscipit.

Proinde, non iniuria  
**Qui Numini est iniurias**  
**Conuiciator**, plectritur  
**Candente ferri lamina.**

In vrbe sanè maxima,  
**Seueritas hæc principis**  
Morum statim licentiam  
Effusorem reprimit.

Domi nec idem segnius  
Se gessit erga liberos,  
Soporis expers, testulata  
Odore ni bono imbuat.

Quæ templo supplex non adit?  
Quos supplican' es reicit?  
Quæ purpuratus languidis  
Non admouet solatia?

Hic luxus illi regius,  
Et aulicæ cupediæ,  
Examen indigentium  
Domi dietim pascere.

Cœnam libens his instruit:  
Gestit recinctus brachia  
Frugaliter Christi dapes  
Communicare fratribus.

Quid non egenis præstisit,

et alii

Christi-

Christiue mandato sui,  
Rex, esculenta pauperi  
Præmorsa qui non horruit?

Sed quur honores Martios  
Inglorius Rex negligit?  
Quur non, malo viciniæ,  
Regni extrahit pomæria?

Quæ sparta sortito obtigit,  
Ornanda iusto principi:  
Fas ille non abruperit,  
Deum timet qui vindicem.

Tantùm tyrannis impia,  
Aduersa Christi insignibus  
Amore Iesu percitum  
Noctes, dieisque lacinat.

Viæ crucis per aëra  
Persæpè, non vno loco,  
Paci vacantem, & otio,  
In bella trudunt aspera.

Dulcedo natalis soli  
Non demoratur desidem,  
Non cura caræ coniugis  
Amorue patrem liberum.

Hæc cuncta Christi posthabet  
Rex promouendæ gloriæ,  
In sacra bella Francico  
Ignarus auro parcere.

Dux agmen ingens protrahit:  
Partæ salutis symbolum,  
Terrâ, mariisque prouolat  
Crux alba mista liliis.

Non horret iratum mare,  
Quamuis repulsus fluebitibus  
Contrariis, & turbine,  
Cyprum reliquam bis petat.

Depugnat emenso mari,  
Primo fatiscit impetu,

Deflagrat

*Damieta.* *Deflagrat ignibus suis*  
*sive T a-* *Vrbs Damieta , dat manus.*  
*miatis.* *Stat progredi , victoria*  
*Freto,nec vnā : postmodūm*  
*Nutat reuecto longius*  
*Incerta Martis alea.*  
*Hostis superbus copiis*  
*Memphiticis, grassans fames*  
*Per castra,cum morbo graui*  
*Captus In vincla Francum pertrahunt.*  
*Ludon.* *Quæ causa ? miles improbus,*  
*Contemtor alti Numinis :*  
*Sic nempe captiui fides*  
*Clarescit,& constantia.*  
*Eductus atro carcere*  
*Apud Syros lustrum exigit,*  
*Nec Christiani rex pius*  
*Quidquam remittit offici.*  
*Exinde redditus suis*  
*Altissimam pacem colit,*  
*Æuo senili dum grauis*  
*In bella rursum proruat.*  
*Vrit sacræ vastatio*  
*Audita terræ,nec sibi*  
*Parcit senex, nec liberis,*  
*Nec deprecanti patriæ.*  
*Carthaginis portum occupat,*  
*Tunetij. Iamque imminet Tunetijs,*  
*Sed mors auara proximæ*  
*Spem præripit victoriæ.*  
*At non prius rex emigrat,*  
*Superstiti quam filio*  
*Comissa chartulæ breui*  
*Praecepta tradat aurea.*  
*Quid? fallimur-ne posteri,*  
*Qui Ludouicum credimus*  
*Mistum choris cælestibus*

## Curare

*Curare res mortalium ?*  
*Certè, tribunal ad Dei*  
*Iure experiri si licet,*  
*In rebus arctis anxijs,*  
*Cogemus ex hac syngrapha.*  
*O Ludouice, si vides*  
*Scatere noxis Franciam,*  
*Dei minantis horrida*  
*Auerte Francis fulmina.*  
*Faue tuis minoribus:*  
*Partas repone laureas:*  
*Tuere regium decus*  
*In Christiano stemmate.*  
*Compone motus ciuicos:*  
*O Diue, iuratissimo,*  
*Christo renatos principes,*  
*Astringe pacis fœdere.*

## H Y M N V S 33.

*IN D. ALPHONSUM , SIVE ILE-*  
*phonsum, Virginitatis Mariana propugnatorem.*

*Helvi-*  
*diani.*

*Señator ausus Heluidi*  
*Contra parentem virginem*  
*Intemperanter hiscere,*  
*Et vnicum cæli decus*  
*Conuiciis incessere,*  
*Magno Toletæ antistiti*  
*Fortissimè retunditur*  
*Tum dictione viuida,*  
*Tum copiosa,maximus*  
*Quo more torrens , montium*  
*Ab arduo cacumine,*  
*Niubus solutis, proruat*  
*Vastator aruorum omnium.*  
*Aut quo potens rex ferreis*

*Perrumpat*

## H Y M N O R V M

Perrumpat arma curribus,  
Latéque victor prouolet  
Stratus hostium globos.  
Sæuit furor, fit vi via,  
Prono ore cuncti concidunt  
Campi patentis æquore:  
Nec extat ex tot milibus,  
Nuperimè cælo minax  
Ausit caput qui attollere.

Alphonse, magne pontifex  
Talis tua est victoria,  
Fusis, fugatis hostibus,  
Quotquot parenti virginum  
Florem pudoris detrahunt.  
Nam quis, nisi erutus specu  
Abominando tartari,  
Trudendus aut eò loci  
Celerrimè, qui virgini  
Purissimæ, negotio  
Isto super nunc obstrepat?  
Proinde mirandum minus,  
Minus stupendum censeo  
(Dicam quod vrat impios  
Vsquam obloquentes Virginis  
Quamuis fidem vero abrogent)  
Si virgo amicta lumine  
Silentis in crepusculo  
Noctis videndum indulgeat  
Se sponte præconi suo  
Pulsi ab ara cæteris  
Precationis tempore.  
Et quid, nisi clientulo  
Debere se quamplurimum  
Planè euidenter innuit?  
Quæ mystam honorat aureo  
Delato ab astris tegmine:  
Dùm curer adscribi semel

Sacri

## L I B . S E X T V S .

257

Sacri pudoris vindicem  
Cælestis aulæ ciuibus.  
Et nos quidem, non dispari  
Spe, tale quiddam cudimus,  
Encomio quod Virginis,  
Infra iubar clarissimum,  
Humillimè subseruiat:  
Si te patronum non neges;  
Alphonse, magne Pontifex,  
Cum matre nati Virginis,  
Apud satorem virginum.

*Parafœus  
ad librum  
sequentem.*

H Y M N O R V M  
L I B E R S E X T V S .

## H Y M N V S . I .

*I E S U C H R I S T O D E I F I L I O ,  
Vniuersorum Imperatori.*



E laus summa decet rerum, Deus alme,  
potentem,  
Qui mundum premis imperijs, qui fulmi-  
ne terres  
Mortaleis, genus infirmum, volucrēsque,  
ferasque

Flammiuomis vnum vectus per inane quadrigis:

Arduus extendis sinuosi carbasæ cæli

Cunctipotente manu, pariter qua subtus inertis

Suffulcis bonus, & libras fundamina terræ,

Vitali refouens per te omnia condita flatu,

In nihilum ne deproperent dimissa reuerti.

Sed quid homo est humili, moles cui tanta labo-

Approbet officium, tot iam labentibus annis?

Et quid rursus homo est, cuius tu solius ergo

Ii

Egressus

Egressus sinibus patriis, allapsus olympo,  
Imis haud fugias vestigia ponere terris  
Factus homo, cælans moribundo corpore numen?

Arte bona, assumtæ tamen in mysteria turbæ  
Cognitus, innumeros proceres subducis in astra  
Victor ouans, positis ligna ad funesta tropæis,  
Post Erebi exhaustas violento Marte cauernas.  
Virget terga duci, superas dum ferris in arces,  
Bellatrix acies, nullus, seu fœmina, seu mas,  
Agminibus totis imposta non cruce pressos,  
Luuentésque humeros, signis prætendit honestis,  
Iactat & effusum ductoris quisque cruorem.

Virgo Dei mater celebri lectissima pompa,  
Viscera transadigit gladii cui tristis amator,  
Spectacli longè effulgens latè auget honorem,  
Magna sui sexus meritæ pars, magna virilis.  
Hinc alii, atque alii, longo ordine, quolibet suo,  
Quolibet è sexu succlamant pone sequentes  
Et Mariam, & Mariæ fidentem nubila natum.  
Christus hic est, cuius deducta colonia cœlos  
Auspicijs superat, sedes fixura quietas,  
Perfruitura tui vultus splendore per ætum.

Hic meus, hic animus decus hoc prægestit apisci,  
Si nos iusta tuo fiducia munere firmat  
Exortes scelerum, incensos pietatis amore,  
Æthereæ allectos iam nunc dulcedine vitæ.  
Atque adeò te concinimus, discrimine vitæ;  
In vieto, infirmo, exangui tibi corpore durum  
Arque informe, pia meditamur arundine carmen.

Si quis adhuc vigor ingenij (succende pusillum)  
Quippe ferè ætatis bis sex iam lustra videmus,  
Seruiat omne tibi deuotum mortis in horam,  
Hæc vigili ut studio præmortua membra dicamus.

Da precor (hoc reliquum est) te dignam dicere ma-  
Matris ad exemplum composta & milia mille, (trem,  
Quæque in fœmineo præbes miracula sexu  
Turpiter elusis malesuadi fraudibus anguis,

Fortiter

Fortiter euictis in molli corpore pœnis,  
Ludit ut in paruis tua magna potentia rebus  
Alta solo voluens, exæquans infima olympo.

D. M A R I A E V I R G I N I  
*Christipara.*

**Q**Vem paro versu celebrare Diuūm,  
Dùm reconcinno chelyn, & sonantes  
Indidem chordas probo, ne deerrent  
Pollicis iætu?

Hactenus si sat videat dedisse  
Laudibus Diuūm, memorare Diuas  
Rursus accingor, siquidem canentis  
Adsit opellæ

Spiritus, fotu mare qui profundum  
Rite fecundat, solidamque molem:  
Qui sinus, & qui gremium puellæ  
Virginis implet.

Commodū facta est Mariæ beata  
Mentio, ni sim mihi vanus augur,  
Spiritu dictante locum supremæ in  
Carmina matri.

Ten' decus terræ, decus ac olympi,  
Ten' rudi quamuis silcam camena?  
Tu feras Christi meritæ secundos  
Mater honores.

Singulæ dotes alias honestant,  
Vna tu dotes capis vniuersas:  
Filia inter mage pulcra nusquam  
Exstat Adami.

Labis expertem niueamque totam  
Ordo certatim canit angelorum:  
Artifex summus sibi tale templum  
Ponit, & ornat.

I i 2

Fraude

Fraude fraus sic, ars superatur arte,  
Dum, dedit damnum mulier quod olim,  
Rursus id totum mulier rependit

Fœnore multo.

Te viro tæda sociam iugali,  
Virginem nescit Stygius satelles:  
Te Dei multò magis ille nescit  
Prole parentem.

Quid tuis addam, genitrix pudica,  
Laudibus? fluxu exsuperante vincor  
Obrutus rerum, subitoque torper  
Frigore sensus.

Filius tali genitrice gaudet,  
Mater est tali benè digna nato:  
Filius tantus, genitrixque toto  
Orbe canantur.

### H Y M N V S 3.

#### *IN M A R I A M V I R G I N E M* *parissimè Conceptam.*

*In Hare-  
ticum.* **F**Acesse acerbe, virulente, perfide,  
Furiose liuor. Audeásne ter sacram  
Matrem Dei conuiciis incessere?

Tu turpis ignorantiae infames nota,  
Supinæ & oscitantiae? Tun' vellices  
Mulierculæ temerarios & impetus  
In iura gnati molientis sacrum opus?

Tun' infidelitatis audax nomine  
Traduxeris, quæ clarius mysterij  
Modum edoceri postulest? quam nungius  
Cœlestis, exprobrans nihil, probè instruat  
Pudoris huic amoliens periculum,  
Paæta fide fœtum impluentis spiritus?

Talis magister, scilicet, liquat rudem  
Quæ magna pars rerum, parens sit omnium?

Nec,

Nec, parcus offici, amplius reuiserit  
In cuius aluum deuolutus sit Deus,  
Rex angelorum, Rex, voluptas omnium?

Næ feceris consultius, collyrio  
Inunctus hoc si pressius perspexeris,  
Injuriam matris reuolui in filium,  
Ingratitudo cuius intolerabilis  
Stupidam ac inertem, incredulam, prorsum insciam,  
Animiæque dubiam tamdiu reliquerit,  
In cæteros, genitrice spreta, effusior.

Atqui videre est, fata vel sub proxima  
Quæm matris haud curam, ac amorem abiecerit,  
Sodalis hanc fidei anxius committere.

Obgannientem & audio te pessimè,  
In fordium contagij mortalium  
Cretam, nec attigisse vitæ limina:  
Prius expiatam vi efficacis Spiritus?

O prostitutæ insanæ infandum nefas!  
Hereditariam eximat Ieremiæ  
Infantulo labem, suas opes suæ  
Admetiens malignius materculæ?  
Idem futuro prodromo benignior,  
Saltare, vix dum sentientem, iusserit  
Immunem auitæ labis, & contagij?

Si nuntium aduentus sui multo anteà  
Ieremiam tam largiter ditauerit,  
Si Messiaæ præsentis vnæ & indicem,  
Quantò æquius, quantò amplius cumulauerit  
Quam corporis sui officinam legerit  
E virginum collegii tot milibus  
Longè ante constituta mundi mœnia?

. Ratio mouet, pietas iubet, dignum **Deo est**,  
Supra Ieremiam, Dei que prodromum,  
Vtrumque Christi Messiaæ internuntium,  
Purissimæ tribuisse plus puerperæ,  
Complexa ventre quæ Deum in lucem edidit.

En floridus Solomonis ille lectulus

Totus

Totus nitens, labisq; cunctæ nescius.  
In floribus sed & volutabrum sues  
Venantur, in mundis haris dignissimi:  
Facesse acerbe, virulente, perfide,  
Furose, viete liuor, æternum tace.

## H Y M N V S . 4.

*In Eandem.*

**S**Alve Parens, opacis  
Prælusa virgo in vmbbris,  
Iugis sacranda laude,  
Sæculo tacenda quillo.  
Tu flore castitatis  
Honos puellularum:  
Fœcunditate mira  
Tu mater alma matrum.

Tu terra virginalis,

*Gen. 2.* Ignara tota sulci,  
Qua de Redemptor; alter  
Effictus est Adamus.

Excitus ille somno

*Ibidem.* Partem sui probat:

Tu perspicaciōri

Melius places Iesū.

*Sella.* Tu Sella verioris

*3. Reg. 10.* Eburna Salomoniſis:

Incincta bracteato

Latē micas &amp; auro:

Et tale sacroſanctum,

Cælestis architectus

Exornat intus, extrā,

Cura actiore, templum:

Tu capſa lœuigatis

*Hebr.* In ſæcla cuncta lignis,

*Exod. 37.* Fuluum q̄rrente ſeruas

Cæleſte

Cæleſte manna in auro.

Columba tu ſupremi  
Tota obſequens Noëmi:  
Nam gratiola, pacis  
Hinc tefteram tulisti.

Tu conſitus feraci  
Hortus canēre planta,  
Vitale ferre lignum,  
Medio tui reperta.

Defenſor & Cherubus  
Tibi excubat, coruſcus  
Qui flammeam bipennem  
Noctes, diēſque verſet.

Immō, canēris hortus  
Obſeptus vndiquaque,  
Ne quid mali vetuſtus.  
Inſibilariſt Anguis.

Inter nurus Hebræas  
Tu mater illa Moſis,  
Seruire viſa nunquam  
Memphiticō dynastæ.

Enixa riāmque nutris  
Liberrimè pueſlum,  
Qui feruitute dura  
Preſſis ferat ſalutem.

Tū lana bellicoſo  
Compluta Gædeoni,  
Quæ ſiccior viciſſim  
Nullo mades ab imbri.

Quām cernit ille acutum,  
Qui (virgo mater) ortam  
Proſuntiauit ex te  
Tellure Veritatem?

Agnoscimus, veremur,  
Cantamus & beatas  
Qua terra fert ſacrata,  
Cælo annuentē, fruges.

*Gen. 7.**Gen. 2.**Gen. 3.**Cant. 4.**Exod. 1.**Ind. 6.**Pſal. 84.**Ibidem.**Iam*

## H Y M N O R V M

Iam constat euidenter,  
Cuiusmodi requirat  
Christo domus potenti  
Constructa sanctitatem.

## H Y M N V S 5.

*In Natalem D. Mariae Virginis.*

**M**Atre gens Eua, patre creta Adamo,  
Flebilis finem facito querelæ:  
Faustior lucet niueo tibi lux  
Digna lapillo.  
Qualis in spinis rosa surgit aspris  
Orbe ludens purpureo comarum,  
Virgines inter tibi talis orta est  
Virgo puellas.  
Labe si queras aliqua notatam,  
More quo partus vitiantur omnes,  
Te male in scirpo tereti sanctius  
Quærere nodum.  
Arcuit culpæ maculas auitæ  
Numinis iam tūm pietas benigni,  
Quām rudem fœtum mora conglobaret  
Matri in aluo.  
Pura sit Christi genitrix, oportet,  
Matri effœtē sata vixdūm in aluo,  
Vuida si surgat Adamus olim, &  
Virgine gleba.  
Ergò maternis, age, te è latebris  
Astere in lucem fine labe prisca;  
Anguis afflatus maculanda nunquam,  
Nascere virgo.  
Redde nunc, ò redde tuis salutem  
Perditam, tollens muliebre probrum:  
Omnium primæ miserata matri  
Elue crimen.

Te parens

## L I B. S E X T V S.

Te parens sponsam legit, ardet, ambit:  
Te petit matrem genitus Parenti:  
Te sacer, quam numine vult foueri,  
Spiritus implet.  
Tu iubar, tu gloria fœminarum:  
Par prior, nec posterior tibi par:  
Tu decus terræ, decus & futura  
Semper olympos.

## H Y M N V S 6.

*In Præsentationem Virginis Mariae.*

**H**EUS, Solymi ciues, accurrite, adeste, fauete  
Spectaculis illustribus.  
Surgit Iesseo vobis de germine virga  
Ornanda flore nobili,  
Quo super æterni flatus Genitoris in æuum  
Quieta ducat otia.  
Virga etenim virgo est, Solymorum quam pede paruo  
Reptare in ædem cernitis.  
Non petiisse sibi prolem Ioachimus, & Anna  
Nunc luculenter indicant,  
Non peperiisse sibi mater, non lacte senili  
Pauisse natam, sed Deo,  
Quam Delubri adytis magni, quam mancipet aræ,  
Pio triennem & cultui;  
Ne quid blanditiis munus cælestè profanent  
Desideri iam compotes.  
Quos exempla vetusta mouent cognominis Annæ  
Deo sacrantis filium.  
Horret pupa, velut materni conscia voti,  
Suctum & mamillæ respuit.  
Anteuenit (dictu mirum) virtutibus annos,  
Et pollicetur indoles  
Summa: Dei templum ingeminat, templumq; puella  
In ore, & in votis habet.

Kk

Vestibulum

Esa.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine, latus  
Lætam sacerdos excipit,  
Multa suo spondetque animo præsagus, & optat  
Mulcens caput virgunculæ.  
Inter ut illa Dei templum se vidit, & aram,  
Progressibus studens nouis,  
Omine, & auspiciis fœlicibus omnia tractat  
Admista virginum choris.  
Discipulamque breui non dicas tempore, iures  
Ducem, & magistram virginum.  
Vndenos quibus hæc præluxit virgo per annos,  
Tradenda coniux coniugi.  
Iosepho, quo virginei quoque teste pudoris  
Intacta sit mater Dei.  
Horum nos seriem certe, & miracula, toti  
Stupemus, & pro viribus  
Affidua non desinimus persoluere grates  
Nostræ salutis arbitrio,  
Cuius, principio res duæt abusque suaves  
Ad exitus solertia.

## H Y M N V S 7.

IN VITAM, STV DIA, ET MORES  
*Virginis Mariae.*

Cant.

**Q** Vale rubis mistum, & spinis se fundat aperto.  
Vertice luxurians,  
Campisque regnet lilyum:  
Virgo puellares inter purissima turbas,  
Haud oculos aliter,  
Mentisque pascat omnium.  
Qui locus & templo, ad lœuam, & conterminus aræ  
Non nisi virgineum.  
Dei gregem complectitur,  
Nutrit in his Mariam bis senos circiter annos.  
Vultibus ingenuis.

Statuta

## L I B. S E X T V S.

Statura pulchri corporis,  
Responde, teretisque manus, & dulcis ocelli  
Simplicis intuitus  
Versi pudenter in solum,  
Quam cælum potius, nisi fors suspiria cordis  
Intima, sideribus  
Adiecerit flagrantior,  
More suo: partem noctis nam diuidit illuc,  
Mane nouumque simul,  
Sol fulgidus dum se exerat.  
Sedula tûm lanam, aut linum, seu vellera Serum  
Atripit, artifici  
Mox elaboret quæ manu  
Pingere acu solers argentea, & aurea texta;  
Contrahat ut pretium  
Quod auferant omne indigi.  
Quod reliquum & faciant demto patrimonia victu,  
Ad studia abripitur.  
Exculta Hebrais literis,  
Scitatur veterum secreta oracula vatuum:  
Summa quidem studij,  
Sunt pacta Adamo foedera,  
Et patribis multis, nostræ sub carnis amictu  
E finibus patrijs  
Dandum reis mortalibus  
Conciliatorem disiectæ pacis Iesum,  
Sideribusque super,  
Orisque mœstis exulum.  
Hæc inter, crebrasque preces, ieunia crebra  
Quis locus esse queat  
Seu fabulis inanibus,  
Seu desideriis, quæ mollior inuehat ætas?  
Suggerat aut leuior  
Proteruitas sodalium?  
Tota Deum Patrem suspirat, totaque Natum  
Saucia cor iaculis  
Amoris æstuantissimi.

K k 2

Audax

Audax prodiderim (neque enim sententia falsa est)  
 Corpore, siue animo  
 Orbis adusque tertios  
 Surreptam, cognosce Dei magnalia, multò  
 Amplius, ut citius,  
 Doctore Paulo gentium.  
**Creditur & Christus sese indulisse videndum**  
 Qua specie libitum est  
 Lecte pudicæ Virginis,  
**Cuius in intacto formet sibi corpore corpus,**  
 Qui facit & patribus  
 Sui videndi copiam:  
**Seu dux Isacidas Phariis educat ab oris,**  
 Seruitioque graui,  
 Marisque rubri fluctibus:  
**Seu specie in triplici charum petat hospes Abramum**  
 Vallibus in mediis,  
 Solis per æstus ignei.  
**Gen.** Nemo etenim plasen visum inficietur Adamo  
 Cum noua in effigie  
 Se gleba ab vda surrigit:  
**Aut quum depulso nictantia lumina somno**  
 Lumen ad æthereum  
 Diducit adstantis Dei.  
**Frondosis potius seu quum fugitiuus ab umbris**  
 Vultibus æthereis  
 Sistit reus se supplicem.  
**Denique tum melius, pactum quum foederis audit**  
 Eximia in sobole  
 Quæ robur Anguis exterat.  
**Præcipue virgo hæc mysteria versat apud se,**  
 Ingeminatque faces  
 Amoris alto pectore,  
**Aduentum memorans diuinæ prolis in Orbem,**  
 Emmanuelis opus  
 Vel angelis mirabile.  
**Scire auct intactæ, & voluit genitricis honores,**  
 Flagitat

Flagitat ire diem  
 Qui virginis foetæ decus  
**Adferat in lucem, cui spondeat inclita virgo**  
 Dulce ministerium  
 Ancillæ abiectissimæ.  
**Ecce autem ad seras vigilat quum Diua lucernas,**  
 Nocte super media,  
 (Trieteridas iam quattuor  
 Florida pubensis iam fermè exegerat æui)  
 Reddita vox subito  
 Precantis aures percultit,  
**Atque animum: Te non contactam virgo parentem**  
 Disce meæ sobolis.  
 Recondit illa nuntium  
**Imispectoribus: nec enim vulgauerit illa**  
 Vlli hominum, superas  
 Ni scandat arces filius.  
**Tum fas scisse fuit, tum fas vulgasse putauit,**  
 Laudibus assiduis  
 Quæ prosequantur posteri  
**Natorum in natos, longea in sæcla nepotes,**  
 Ætheream sobolem  
 Satam parente Virgine.

## H Y M N V S . 8.

**D. VIRGINIS MARIAE, ET JOSEPHI**  
*Epithalamion. Chori duo canentes alternis.*

**D**icitate lustratis animis (nam casta paramus [alter:  
 Carmina] quando chorus conuenimus vnum, &  
 Accipiat partes primum pars vtra canendi.  
 Hic nulla inuidia est, vbi verum queritur vnum,  
 Vnus honos Christi, Mariæ sub laude parentis.  
 Summus Idumæis Genitor sibi sevit in hortis  
 Virgineum florem, cuius noua gratia, neqdūm  
 Cuiquam visus honos, flores longè anteit omnes. Mariam  
scz.

K k 3

Propter

*Josephus  
scz nutri-  
tius, & cu-  
stos Ma-  
riae.*

Propter eum, est alius flos, cuius gratia, florem  
Si non assequitur, tutatur honore, priorem.  
Ambo secretis geniti visuntur in hortis,  
In foliis ambo niueis, sine crimine formæ:  
Ambo vna radice sati, bifida tamen, vt sunt  
In serie longa, Dauidis stirpe creati.

Peruigil huic sanè iuncta est custodia, & illi,  
Ne vulgo pateant aditus, hœdissimæ petulcis.

Hunc mille & pueri, mille & petiere puellæ:  
Illum excellentem radiantis imagine formæ,  
Vndique quem certent mulcere salubrius auræ,  
Firmius attollat sol, mollius educet imber,  
Bis mille exoptant pueri, bis mille puellæ.

At ne expectetis, flori huic fortasse, vel illi  
Dùm decussus honos marcente intercidat æuo,  
Turpiter humano aut raptus defloreat vngui:  
Stat decus huic, stabit nunquam violabile, & illi,  
Vt nihil imminuat ventura, nec auferat ætas.

Cessamusne etiam implexos dissoluere gryphos?  
Alter Iosephus, Maria altera, flos sit vterque:  
Fœminei sexus ea sit flos, ille virorum,  
Quem Mariæ tædis dignatur Rector olympi,  
Vt minus olfaciat reparandæ dona salutis  
Rex Stygius, vel foeta Deo virguncula crimen  
Vitet adulterij, si lis sub iudice vulgo est.

Fœlix connubium, fausto quod copula nexus  
Irruptaque fide stabilit, quo pectora amantum  
Irrita spes prolis temere non angit, at ambos  
Lætitiae explet natus Seruator Iesus,  
Cui Pater est terris, genitrix incognita cælo,  
Ni tenebras homini excutiat Sol Christus ab alto  
Exoriens, plena luctret qui lampade terras.

*IN GABRIELIS ARCHANGELI LEGA-  
tionem, ad D. Mariam Virginem.*

**Q** Vo gens impia tempore  
Ternis thus digitis Deo  
Cuius turpiter obmouet  
Spreto numine cæli:  
Dùm gens sacra Deo, ducem  
Perfert sanguinis haud sui,  
Et vænalia congemit  
Foedo munere sacra:  
Mandato Gabriel Patris  
Summi, deserit ordinem  
Summum, visere Nazaram  
Iussus, visere Nympham  
Illam, illam Galilæidem  
Floris virginei decus,  
Qua non pulcrior altera:  
Natas inter Adami:  
Nasus, frons, oculi, genæ,  
Gestus compositi, decor  
Et vultus, genus arguunt  
Alto à sanguine regum.

Ast iniuria temporis,  
In censu tenui, dedit  
Victus muditiem, & simul  
Dignos virgine cultus,  
Quamuis deliciis locus,  
Aut occasio luxui  
Desit, copia codicum est  
Præsto, sacra supellex.  
His in lautitiis agit  
Lucis, noctis & horridæ:  
Virgo casta silentia,

## H Y M N O R V M

Vulgifæce remota.  
 His dulce est spatiarier  
 Hortis, carpere flosculos  
 Vatum, sensaque gemmea  
 Fibris condere in imis.  
 Ortu plurima quæ super,  
 Vita, & funere Messiaæ  
 Cantant fatidici senes,  
 Seruat mente reposa.  
 Si quando melicum (vt solet)  
 Carmen Dauidis integrat,  
 Nullus non stupet angelus  
 Cæli allapsus ab arce.  
 Atqui si Solomonios  
 Cantus aggreditur, statim  
 Collique scere, & emori  
 Cernas pectus amantis.  
 Oracio tamen vnico  
 Hæret mens pia, virginis  
 Cui stet integritas sua  
 Parto matris honore.  
 Illam suspicit omnibus  
 Fœlicem numeris, nouem  
 Cui menseis tumidus Deum  
 Venter corpore claudat.  
 Ecce autem subitus decor  
 Vultus alitis angeli,  
 Vultus virgineos ferit  
 Clara luce renidens.  
 Solum sola videns pauet,  
 Ignorans aditus virûm:  
 Rari pensitat offici  
 Vim, terrore represso.  
 Curam cura noua excipit:  
 Audit se fore virginem  
 Matrem: discere auet modum  
 Sacri conscia voti.

Audit

## L I B . S E X T V S .

Audit post, opus hoc fore  
 Ingens Coelicolum patris,  
 Qui mille hanc sibi destinet  
 Inter millia nuptam.  
 Haurit credula& auribus  
 Auram coelitus adfore,  
 Aluum virginis integræ  
 Quæ fœcundet in umbras.  
 Hic natura parens suum  
 Inuerti stupet ordinem:  
 Sed fari vterius vtor:  
 Hinc abeste profani.  
 Illapsus gremio Deus  
 Verbum, fit caro, virginis  
 Et se se genitalibus  
 Totum miscet in aruis.  
 Mater foeta homine integro,  
 Virgo prima quæ virginum,  
 Iam, iam fert vterum, grauis  
 Citra pondera ventris.  
 Expers tota libidinis,  
 Et purissima noxiæ,  
 Partus nec minimos sacri est  
 Persensura dolores.  
 Non se rapitur supra  
 Mater foeta homine, & Deo:  
 Sed se fine modestiæ  
 Certo continet ipsam.  
 Christi facta parens, manet  
 Addicta imperijs Dei,  
 Vilis nomina seruulæ  
 Leni voce retentans.  
 Nos te carmine virginem,  
 Et te, virgo, pueroram,  
 Nos, factoris & omnium  
 Matrem laude feremus,  
 Tantum sidera te super

Li

Tollentes,

Tollentes, Superum & choros,  
Quantum dote modestia  
Tete deiicis infra.

*IN PROFECTIONEM D. VIRGINIS*  
*Christipara, ad visitandam Elisabeth.*

**Q**Vò Diua gressum? nescia conspici  
Vulgo? maritus sit licet huic comes?  
Quur, præter hæc morem relinquit  
Virginei latebras cubilis?  
Non in plateis garrula restitat,  
Aut angiportu, nec vaga lumina  
Huc vibrat, illuc, per plateas,  
Perque forum metuens videri.  
Iam virgo montes quur subit arduos?  
Nec confragosæ tot latebras viæ  
Exhorret? an tanti puellam  
Seria sollicitant negoci?  
Ne tanta apud se gaudia comprimat,  
Gestit propinquam visere, quam Deus,  
Vel prole sera, vult ademtis  
Opprobriis fieri parentem.  
Arcana virgo cui melius sua  
Communicarit virgo vterum ferens,  
Quam grandiori huic & propinquæ,  
Atque vterum pariter ferentis?  
Haud pristinæ sit virgo modestia  
Oblita quidquam, cui magis ac magis  
Vndante fluxu largiatur  
Spiritus æthereum charisma.  
Ventum est ad ædes, vox pia virginis  
Aureisque vixdum pulsat aniculæ,  
Quum ritè festas auspicatur,  
Adueniente Deo, choreas

Infans:

Infans, choragus ventre sub abdito ef-  
Fœtæ parentis: Sancta parens nouos  
Saltus stupet fœtus latentis,  
Intus agente Deo: beatæ  
Lætum canit pæana iuuenculæ  
Promtæ ministro cælituum obsequi:  
Laudi suæ laudem reponens  
Ista Dei, meditatur oden  
Dictis sonantem magnificis, gerit  
Vt sensa legis condita scrinio  
Mentis pudicæ, & pacta Abramo  
Fœderæ, cunctaque scita vatum.  
Tunc se cupitis appetere osculis  
Vtramque matrem, iungere nexiles  
Vltrò, & citrò inter se lacertos,  
Et bona dicere verba cernas.  
Tunc virginis florem animæ seni  
Hausisse dulce est, brachia languida  
Suffulta sicut iuniori  
Supposito tolerare collo.  
Sed tanta matrum gaudia quis canat?  
Dixisse partem lætitiae hic sat est,  
Qui Christianæ nationis  
Nunc melius lacriment tumultus.  
Quamquam rogamus te prece sedula,  
Laus, virgo, matrum, floscule virginum,  
Mortalibus nunc allabores  
More tuo dare te iuuandis.  
Partes, Elisa, has tam tibi vindices,  
Communis huius sumta negotij,  
Tu, cum tuo mater puello,  
Quam Mariæ, Deoue gaudes.

## HYMNORVM

## HYMNVS II.

**D E C O N G R E S S V S A C R O D.**  
Maria Virg. & Elizabethæ.

**O**ccursus, ô, duarum  
Fœlix, & auspicatus,  
Silendus haud in illa,  
In hac nimis stupendus.

Harum est utriusque discors  
Ætas quidem : voluntas,  
Amorque sacro sanctus,  
Inest utriusque concors.

Mens pura, mens modesta  
Virgunculæ suasit,  
Ut dignitate maior  
Prouiseret minorem.

**Q**uin & Deus parentis  
Homo latens in aluo,  
Occurrit in parente  
Seruo sua latenti.

**Q**uare ventris ut latebris  
Se surrigens ad auras,  
Dei reuelat Agnum  
Luce in meridiana.

O quam voluptuosè  
Et hæc, & illa, fetas  
Se gratulantur amboœ,  
Feliciore partu.

Expostulans amicè  
Anus libeus parentem  
Dei increpet, quod ad se  
Venire non grauetur.

Sed mox Deo mouente,  
Intus ciente nato,  
Præstantis orsa cantat

Encomium

## L I B . S E X T V S .

Encomium puellæ.

Hæc, pleniore Vates  
Cantu, deo rependit  
Toto orbe concinendas,  
Melos suauæ, laudes.

Deprædicemus & nos,  
Ostensa per duarum  
Exempla fœminarum,  
Dei benigitatem.  
Si fœminæ dolemus  
Olim perisse culpa,  
Mysterium salutis  
Per fœminas tenemus.

## HYMNVS 12.

**I N S A C E R R I M V M D.**  
Virginis Matris puerperium.

**Q**VOTQUOT estis humo sati,  
Queis audire datum auribus,  
Queis spectare oculis; nouam  
Vobis nuntio pompam.

Huc vos, ô pueri integri,  
Intactæque puellulæ,  
Nati visite filiam,

Natæ visite natum.  
In primis, ego vos velim,  
Pura mente, Sionides,  
Gressu præpropero, pia

Ad spectacula adesse.

Nec vos lactea lilia,  
Nec vos deficiant rosæ:  
Flores omne genus date,  
Plenis dona quasillis.

Flores tristis hiems negat,  
Quosextinxit hiems; sed hæc,

Li 3.

Quos

## H Y M N O R V M

Quos industria virginum  
Paucos feruat, habebit.  
Quæ ditis redimiculo  
Vitæ tempora stringitis,  
Hæc vittæ redimicula  
Caſtæ aptate Parenti.  
Hæc fulgentia peſtore  
Huc offerte monilia:  
Matris virginis auribus  
Has appendite inaures.  
Quos circum tereti datis  
Anellos digito, ſacræ  
Hos matris digito date  
Promtos diuite mundo.  
Non fert tædia res moræ:  
Huc depromite rafiles  
Auri braſteolas, decus  
Argenti que nitentis.  
Ætitem, age, confipcor,  
Fœtæ depositus ſinu  
Qui partus misera leuet,  
Magna ex parte dolores.  
Ætite nihil hîc opus,  
Si culpæ dolor eſt comes:  
Orba eſt virgo doloribus,  
Omnis nescia culpæ.  
Myrrhæ adſpergite lacrimam;  
Etrores Arabum optimos:  
Coſtum, balsama, & Aſſyrî  
Vim fragrantis amomi.  
Formam virginis Indicus  
Pulcrè condecoreret lapis,  
Et quoconque loci eruta  
Rari gemma topazi.  
Iſtic forte ſmaragdinus  
Bellè conueniet viror:  
Carbuncli rubor igneus

Illic

## L I B . S E X T V S.

Illic addet honores.  
Quid gemmas moror Indicas,  
Flores deciduos, opes,  
Odores, frutices? nihil  
Horum eſt indiga virgo.  
Tota eſt florida, florea;  
Tota eſt gemmea, & aurea,  
Tota argentea, & omnium  
Omnis gratia odorum.  
Ne lauro, ſacer o chorus,  
Tutæ fulmine ab horrido,  
Neu victoriferæ modò  
Ramis parcite palmæ.  
Illi tempora cingite  
Lauro, quam tremit aëris  
Inſeffor violens, triplex  
Cæli quem canit ordo.  
Viſtricémque cupidinum,  
Viſtricémque ſui decet  
Sexus, omnis & ordinis,  
Ingens copia palmæ.  
Montis culmine in arduo  
Graſſati in viridem rubum  
Moſes viderit eminus  
Flammas, & fine noxa.  
Non damnoſa magis manent  
Nos incendia, pignoris  
Matrem cernere queis licet,  
Saluo flore pudoris.  
Miremur Gedeonicum  
Sicca in planicie madens  
Vellus, ſi Mariæ impluit,  
Siccis omnibus, aluum  
Imber, non medio aëris  
Deſtillans ſpatio, ſinu  
Sed Patris, pia temperans  
Fluxu viſcera matris.

Exod. 3.

7nd.6.

Nos

## H Y M N O R V M

Nos virga vrget Aronia  
 Fronde, floribus, & grauis  
 Fructu, non pluuiæ indiga, &  
 Solis fomite nullo.  
 Virgo est, virga Dei parens;  
 Frondes, multa modestiæ  
 Virtus, progenerans dei  
 Christum numine florem.  
 En, caligine veritas  
 Pulsat promicat, & piis  
 Faustum pectoribus diem  
 Orto sole serenat.  
 Carmen sed temerè haud damus  
 Matri, fæmineum genus  
 Supra, cui fauet vnicum  
 Trino numine Numen.  
 Occurrit generans Pater:  
 Natus vult hominem indui:  
 Fœtum spiritus incubans  
 Molli perficit aura.  
 O vis magna potentiaæ  
 Patris, ceu Sophiæ simul  
 Nati; prodit homo Deus  
 Vi compactus Amoris.  
 At nos te puerum obuijs  
 Vlnis excipimus, deus:  
 Cælo lapsus ut aduolas,  
 Sic nos afflere cælo.

## H Y M N V S 13.

*I N E A N D E M P V E R P E-*  
*ram sanctissimam.*

R Egina, magna Mater,  
 Maiore fæta Nato,  
 Quemnam tibi pusilli

## L I B . S E X T V S.

Pæana concinemus?  
 Tu vocibus canentum  
 Et laude maior omni,  
 Mortalis ingenii vim,  
 Solertiāmque vincis.

Tu virgo, tu Quiritum  
 Cælestium choreæ  
 Cantare te paranti  
 Negotium faceffis.

Beata turba cæli  
 Laudi patris supremi  
 Laudes tuas, Iesu &  
 Nati subinde miscet.

Celi alites ministri  
 Ad ima deuolantes  
 Mirantur, ac adorant  
 Partus nouos puellæ.

Et, qui tibi, puella  
 In corde cogitatus,  
 Quum te Dei puelli  
 Factam vides parentem?

Vagire dulce, quid te,  
 Pappare quid minutum,  
 Lallare quid iocosum  
 Iuuat, beata mater?

Quam ridet, ecce, blandum  
 Matrem intuens amicam?  
 Quam flammulas ocello  
 Iaculatur efficaci?

Quam suauibus querelis,  
 Quam lacrimis decoris,  
 Protuberantis istud  
 Lac exigit papillæ?

Lac virginale, mater,  
 Tam dulce vagienti,  
 Tam molle garrienti  
 Num pernegas puello?

M m

Tu,

282

## HYMNORVM

Tu, quam potes, puelle  
Manusculis tenellis  
Prehende mollicellas,  
Gemipomulas mamillas.

Prono suavis ore,  
Labellulis rubellis,  
Præmande, suge, mulge  
Papillulas gemellas.

Reduc, pudica mater,  
Obduc, pudica, mammam:  
Diuturniore suctu  
Lactis, satur puerulus.

O, quid noui intuemur?  
Præmansa, lacue poscit,  
*Psal. 146* Qui foetibus tenellis  
Corui ministrat escam.

Vagire pusionis,  
Pappare vel minutum,  
Lallare vel iocosum  
Cæli imperat colonis.

Frons hæc aperta pupi,  
Hic tinnulūs uerius  
Nigrantibus procellis  
Tristem diem serenat.

Sat cantionis hoc sit:  
Iam fasciis reuinætum  
Serua, siu receptum  
Foue, beata mater.

Nunc ille, qui locata  
Cælo fouet parentem,  
Huic oscini coro  
Cæli annuat quietem.

**HYM-**  
nus  
Sollitus pugnare  
M. 2

## HYMNVS 14.

*IN CHRISTIPARAM VIRGINEM*  
*Purificatam, ad Deum.*

**S**Vmme Deus, cuius nihil est sine nomine sanctum;  
Luitrandi veniut ad tua templa duo.  
Hi tibi leæti hominum, dilecti in milibus ambo,  
Sponsa tua in terris virgo, puerque tuus.  
Illa tuo facta est si munere ne lacia labis,  
Quid graue, quo Mosis lege pietur, habet?  
Si tibi fert, offertque pates, pia dona, columbas,  
Symbola virginæ implicitatis habes.  
Si, re dat tenai, duo pignora turturis albæ,  
Tessera sit paæte certa pudicitia.  
Vt cunque est, tum id exemplum ne roboret Eue,  
Iusla tuis & in hoc legibus obsequitur.  
Nunc quid comimeruit, tua magna potentia, Natus,  
Spes, & flos hominum, deliciumque Patris?  
Adspicis hunc, & scis à te genitore profectum:  
Si tuus es, rursus quo tibi iure datūr?  
An, populis mandat que scita salubria solus,  
Haud expleta aliis, plenius exsequitur?  
Hoc placet extreum, quem nobis ipse dedisti,  
Vis in eo mundos nos tibi nempe dari.  
Redditur ergo tuus, tua suscipe munera, Christus:  
Nos in eo, quia nos perdimus, accipias.

## HYMNVS 15.

*In Eandem encomia justæ.*

**S**I quisquam citharæ sciens  
Dulces inuidet modos  
Mari Christiparae, manum  
Scupentem ingemat artifex  
M. 2

Plexus

Plexus tempus in omne.

Si quis gutture tinnulo  
Valens, vocéque limpida  
Laudem dicere perneget,  
Poenas exoluat, mage  
Mutus piscibus ipsiſ.

Eheu, quid volui mihi?  
Hæc nostrum repeatant mala  
Caput, deterioraque  
Duplo, si racciam tuas,  
Mater maxima, laudes.

*Virga  
Aaronis.* Virgæ germen Aroniæ,  
Haud radicis ope: additæ  
Fruges floribus, Isaci  
Hæc est vera, frequens, vetus  
Vsque cantio natis.

*Vellus Ge  
deonis.  
Ind. 6.* Humens vellus in area  
Sicca, dux pius accipit:  
Siccum vellus in arido  
Solo, dux iterum videt  
Et grata vice plaudit.

*Porta  
Ezechielis.* Vifa est fatidico seni  
Porta obducta repagulis  
Vulgo imperuia, sed tamen  
Vni peruia principi,  
In qua considet ipse.

*Erod. 3.* Et qui dux ouibus præest  
Lanatis, stupet eminus  
Rubi incendia maxima  
Ramis luxuriantibus,  
Nullis noxia flammis.

His non amplius immoror  
Exemplis: mora tædio est.  
Priscis luditur hic typis:  
Namque ænigmate virginem  
Cantant omnia matrem.

Puram labis Adamicæ

Proſum condecuit solo  
Nasci, quæ ſobolem dei  
Puro viſcere, & hospitâ  
Parens excipit aluo.

Huic tali vietus, vetus,  
Et fractus ſenio parens  
Cæli non ſine Numine  
Vitæ principium dedit,  
Nec graui ſine cauſa:

Ne quæ primigenum lues  
Tradi ſueta nepotibus  
Æſtu coniugii abſono,  
E membris iuuenilibus  
Fætam ſerpat in aluum.  
Certis indiciis ſenes  
Seram progeniem deo  
Sefe tollere colligunt:  
Exactoque triennio  
Templi limine ſiftunt.

Raram ſacrifici indolement,  
Et pupæ ingenuum decus  
Rimari, ac operam dare,  
Vt ſacris adytiſ ſacer  
Ædis partus alatur.  
Illic in ſtudia, & preces,  
Ætati vt teneræ expedit,  
Fertur tota puellula:  
Et ieunia percolit  
Freta robore iusto.

Iam non claudere nubilem  
Audent vterius ſacræ  
Ædis myſtæ adytiſ: loquax  
Vulgus, virginæ haud minus  
Obſtat cura pudoris.  
Ergò regibus editam  
Illi regibus edito  
Despondent, pius vt ſenex

Ioachi-  
mus &  
Anna.

## H Y M N O R V M

Curam virginis integræ  
Agat virgo maritus.  
Mirari ille modestiam,  
Oris casta silentia,  
Diuina studium rei,  
Flagrantemq; animum Patris  
Summi iastanter amore.  
Cernit, quām nihil est sacer  
Vultus, lubricus aspici:  
Pectus, cor niue purius,  
Casti propositum tenax  
Persentitq; pudoris.  
Ingens prodigijs hinc stupor  
Monstrantis grauidos seni,  
Planè & foetificos tūnus,  
Quos vir scit thalami inscios,  
Contractusq; virilis.  
Amittat placidē hanc libens,  
Absoluatq; piē team,  
Confestim nīli scrupulum  
Hærentem tacitē eximat  
Cæli nuatius ales.  
O ne coniuge te super  
Angas (impero) nec time  
Quidquam, plena deo tua est  
Virgo : quem pariet tibi,  
Dices latus lesum.  
Dia virgine vir pius  
Gaudet : virgo molestias,  
Nec fastidia mensium  
Vsquam conqueritur, gerens  
Onus pondere nullo:  
Seu per culmina montium  
Foetam prodigo altero  
Iam prouisit aniculam: Seu iam proxima partui  
Paruæ mœnia Bethlæ.

Hic autem

## L I B . S E X T V S .

Hic autem (procul hinc, procul  
Vulgus vaniloquum arceo)  
Nullis virgo doloribus  
Est enixa puerpera, &  
Nullo pondere pondus.  
Nam quur difficiles gemat  
Partus alma parens dei?  
Mater lucidior vitro,  
Expers virgo libidinis,  
Labis nescia auitæ?  
Quanquam funere in horrido  
Pendentis trabe filij  
Pectus suffodiens pium,  
Matrem vulnificus dolor  
Duro sauciet iætu.  
Sed lux tertia promicans  
Luætu saucia viscera  
Persanat trepidos tibi  
Complens lætitiis sinus  
Supra sidera notis.  
Hoc (sic crediderim) die  
Matrem non minima deus  
Parte nectaris imbuit,  
Pastu, quo superos beat  
Omnis visus in æuum.

## H Y M N V S . 16.

**I**N D. *VIRGINEM DEIPARAM, GLO-*  
*riosissimè in calum affumtam unacum in-*  
*contaminato corpore.*

**O**ccasionem lætitiae, an secus,  
Regina, præbes, lucida sidera  
Mortalibus visens relictis,  
Parte tui remanente nusquam?  
Non ossa habemus, non cineres pios,  
Lenire quò desiderium tui,

Proferre

## H Y M N O R V M

Proferre quod læti quotannis  
Mnemosynon Mariæ queamus.

Hoc cæteris de cœlitibus quidem,  
Quos terra cælo reddiderit, licet:  
Tu iure virgo singulari  
Tota Patre, fruerisque Nato.

Ergò ille, quo de corpore struxerit  
Corpus sibi ipsi, viscere conditum  
Terræ, inuidus linquat tot annos  
In cariem, & cineres solutum?

Non sic habet res, morte modò, leui  
Ceu rapta somno, sidera per uolas,  
Laudum dei, laudum tuarum  
Lætitias resonante cælo.

*Apoc.* Quanti triumphi gloria, in arduo  
Gestare bis sex sidera vertice:  
Phœbi aureo vultu obuolutam  
Sub pede continuisse Phœben!

Vestam nouenos te super ordines  
Congratulatur quilibet alitum  
Ordo ministrorum, supremos  
Omnium & arripuisse honores:

Vt confidentes inferioribus  
Subsellis, encomia per dei  
Ducas, & aurem commodatam  
Questibus applicuisse cures

Carnis gementum pondera, & exili  
Longo enecantis tempore tedium,  
Si quidpiam Christi parentem  
Hec pia vota, precesq; tangunt.

Tu prima matrum, primâque virginum,  
Tu nata nati, tu genitrix dei  
Cælo caput, sub te relictis  
Nubibus aereis, sub infers.

In luce si tu nos media aspicis  
(Nam vera lux est filius hic tuus)  
Ne nos sinas collabi in Orcum

Præcipiti

## L I B . S E X T V S .

Præcipiti miseros ruina.  
Quæ sede Nato proxima consides,  
Regina cœli non temerè audies  
Vulgò tibi sacram per ædem;  
Antitheo medio crepante.

## H Y M N V S . 17.

*In Eandem D. Virginem encomiasticè.*

T Erra creatam dicere virginem  
Primam parentem fas erat omnium,  
Ausu nefasto ni nouerca  
Progeniem male perdidisset.  
Infausta mater, progenie licet  
Tam copiosa, tot regionibus  
Quacunque mundi parte, fetu  
Luxuriante replerit orbem.  
Quo plenior laus in Mariæ fluit  
Magnæ parentis virgineum decus,  
Cuius beato terra plaudit,  
Non secus ac supera alta, partu.  
Huic turba matrum, cedite, quæ facit  
Matres beatas prole facerrima:  
Huic virgines hærete, vota  
Quæ sacrat, intemerata virgo.

Vultus pudici simplicitas, nitor  
Frontis serenæ, corporis in statu  
Constante, & appresso, solumq;  
Flexa acies oculi tuentis:  
Messi capillus concolor aureæ,  
Omnisque demùm legitimus decor,  
Eiusmodi sunt, à parente  
Qualia sumit & ipse natus;  
Formam vereri quisque velit, probos  
Amare mores: nemo modestiam  
Desiderarit: cogitantem

N n

Optima

## H Y M N O R V M

Optima nemo hominum reprendat.

Fas esse talem, quæ generet Deum

Intacta partu non violabili :

Quæ sexuj infirmo salutis  
Lucida tollat ad astra signum.

Culpate amictum si liceat, piæ

Sole obuolutam visite virgines,  
Argenteo Phœbe reuinxit  
Officiosa pedes nitore.

*Apoc.* Bis sena gestat vertice sidera

Regina mundi, virgo puerpera :  
Cælum petens mater Tonanris  
Hoc habitu per inane fertur.

Haurire quis det terrigenum autibus

Circumuolantis militiæ modos,  
Haud finiendum gratulantis  
Temporibus Mariæ triumphum!

Cælo receptæ regia personat

Hymnos, Quirites ætherei integrant:  
Plus centies plausum, perennes  
Has reboant supera alta laudes:

Magno parenti gloria perpetim:

Magni parentis gloria filio:

Nos spiritu fœtam per æuum.  
Cælicolæ Mariam tenemus.

## H Y M N V S . 18.

*In D. Virginem Deiparam.*

R Egina fœminarum,  
Speciosa flore virgo.  
Fœcunda prole Mater,  
Puerpera integella.

Tu cantibus canentum,  
Et laude maior omni:  
Tu laus es ipsa laudis:

Honos

## L I B . S E X T V S .

Honos es ipsa honorum.

Quicunque ferre digna

Te laude moliatur,

Actum egerit, ruentes

Quærens aquas per altum.

Tu flos, decusque floris;

Fulgor micantis auri:

Tu prænites Eōz,

Formæ decore, gemmæ.

Quidquid suave, pulcrum

Viget, nitet per orbem,

Is contulit tibi ipsi

Qui dat tibi seipsum.

Tu maior ergo cælo

Minora vincis astra,

Pressumque calce, viatum

Lunæ relinquis orbem.

Incincta sole, Lunâ

Vt pulcrius nitescis,

Sic ipsa mutuatum

Constans decus tueris.

Fulgore dum Deus sol

Cæli replebit arces,

In sæculum perenne

Decus tuum manebit.

Sit laus Deo parenti,

Sit Filio parentis :

Sit Flatui superno

Qui te facit parentem.

## H Y M N V S . 19.

*In D. Virginem Mariam.*

S Alue Maria virgo,  
Intacta virgo mater,  
Coniux dei Parentis

N n . 2

Dei

## H Y M N O R V M

Dei parensque Nati.

Miramur, & veremur

Opus dei vel vnum:

Floret pudore mater

Quae nesciit maritum.

Tu virgo, virginum flos,  
Columen, decusque matrum:  
Tu prima feminarum,  
Carmen, caput virorum.

Te sexus, omnis ætas  
Colit, celebrat, ornat:  
Nec laudis asecuta est  
Istius umbilicum.

Non laus deo Parenti,  
Laus gratiorque Nato,  
Quam virginis parentis,  
Vt roque sexu, & æuo.

Encomijs Mariæ  
Aptate, quod potestis,  
Tunc genus: Quirites  
Vt succinant olympi.

Cælum ambit hasce laudes  
Telluris à colono:  
Supplebiturque, si quid  
Desideretur, astris.

## H Y M N V S 20.

*In Eandem.*

Salue parens parentis,  
Illi mis atque pura  
Viui scatetra fontis,  
Originisque origo.  
Te pneuma sacro sanctum  
Deperditæ salutis  
Delegit officinam,

Opulen-

## L I B. S E X T V S.

Opulentiaque capsam.

Tu spes, opesque nostras

Aluo sacra recondis:

Tu mater & parentem

Progignis vniuersi.

Terris super tibi par,  
Super nec est olympos,  
Quam cœlitum velit Rex  
Tantum Deo minorem.

Tu promta, tu benignam  
Aurem applicas vocanti:  
Prensis salo patente  
Fulges salutis astrum.

Te promicante vastum  
Errantibus per æquor,  
Pertinget expeditos  
Carina nostra portus.

## H Y M N V S 21.

*In Eandem Deiparam.*

A Vdi, Virgo parens, nam credimus atque fatemur,  
Te nobis hominem, te peperisse Deum.  
Sponsa Dei, genitrixque Dei purissima, seruas

Partu homines, hominis scilicet atque Dei.  
Christum hominem aspectas, demulces, vbere nutris,  
Complexu, & roseo molliter ore foues.

Ille tibi, trepidant quem manes, curia celi

Suscipit, agnoscunt omnia, subiicitur.

Fers nulli tactos & virgo, & mater honores:

Non par posterior, non prior villa, tibi.

Mortalis Dominum mortalem, virgo, tulisti:

Nunc immortalem, nescia mortis, habes.

Si decus es, sexusque tui si gloria, si non

Terrigenas inter gratior villa Deo,

Si super angelicas gaudes euecta choreas,

N n 3

Si penes

## H Y M N O R V M

Si penes est summum gratia summa Deum,  
 Si bene vis miseris, potes id iunctissima Nato,  
 Virgineusque tuo pectore flagrat amor:  
 Tam fer opem facilis populo te in vota vocanti,  
 Quam te matrem hominis credimus, atq; Dei.

## H Y M N V S 22.

*Ad Eandem, cum ipsius responsum.*

**N**ON opis humanæ est, dignas tibi dicere laudes,  
 Magna Parens, magni genitrix, & filia Nati,  
 Sed magis angelicæ, clara qui in luce tuentur,  
 Reginam superum, diuino in lumine latè  
 Fulgentem, pariter festa acclamante corona  
 Fœcundæ niueos tibi virginitatis honores,  
 Vnde tuum nomen cæli conuexa resultent.

Nos humiles, hebetes, picea caligine mersos  
 Effugiant decora ista: pigro & si pectore quidquam  
 Concipimus leuiter, vacuos, sterilesque relinquunt.  
 Ceu silice excusus tenues vanescat in auras  
 Ignis, & optatae lucis spem fallat inanem.

Interea, quod te canimus, molimur amanter,  
 Non temerè omnino Marciana encomia, textu  
 Quamlibet exiguo, quantum conceditur vti  
 Pneumatis afflatu, telæ in grauioribus orsis.

Scimus enim, de te quidquid potest dicier, infra est  
 Laudes, Diua, tuas, nimentem, animumque ministres  
 Grandia conanti laudum sub mole tuarum,  
 Responsu hominem breuibus digneris ab alto.  
 Ipsam et expediens, quæ sis, quidque aurea fulges  
 Cælitibus locuples tibi vera fatebere testis,  
 Praeco eadem verax te te in tua verba vocanti. (ti:

**Maria** Laus mea, laus propria est, cui sum iunctissima, Na-  
 verba. Atque adeò sic ire mea in præconia certum est,  
 Ut, quæ laus nostro verissima fluxerit ore,  
 Protinus ad fontem genuinum versa recurvar.

Sum

## L I B . S E X T V S .

Sum quod erā, nec erā, quod sum: nunc dicor vtrumq;  
 Virgo prius, nunc facta parens, sine labe pudoris.  
 Me genitor deamat, Nato me Spiritus implet:  
 Ipsa pio quemuis mortalem amplector amore.  
 Do, quem ventre tuli, vobis, vel se Deus vltò  
 Dat vobis: Seruate sui, sub corde, datorem.

## H Y M N V S 23.

*In eandem, aduersum Mariomastigas.*

**E**sse sub humana specie, qui te aurea virgo,  
 Dente Theonino rodere non dubitent?  
 Qui te non vna affectent conspiceret labe:  
 Nobile, & intactum Cunctipotentis opus?  
 Aspicere hos oculis? audire hos auribus? annis  
 Cogimur & multis ferre, nec emorimur?  
 Has soli tenebras, lunæque offundere, si non  
 Et vitium, & scelus est, quid vitium, & scelus est?  
 Qui videt hæc, tacita quidquam nec mente mouetur,  
 Clametur stupido corpore truncus iners.  
 Prædo, latro est, quisquis designat talia: quisquis  
 Ridet, Auernales pectore alit lemures.  
 Quis pudor, immò furor, Mariæ de nomine dicta:  
 Diruere antiquis templo dicata locis?  
 Et super his, Gnatii despecta tonitrua cessant?  
 Comprimit & iustas vindicis ira minas?  
 Fallimur? an Mariæ suspensa fuere rogatu  
 Fulmina, ne pœnas impia turba daret?  
 Ne gemat extinctostellus vidiuata colonos?  
 Rideat innumeris Ditis & aula neces?  
 In Mariæ est quondam bacchata licentia nomen,  
 Quorum vix meminit nomina posteritas.  
 Dilapsi in cineres, ac irremeabile in antrum  
 Dant Phlegetontæo flumine supplicia.  
 Emerſere alij, astutæ qui vulpis ad instar  
 Clam tibi suffixo dentè nocere parant.

Vrsus

Vrsus & hinc, illinc in te lutulenta ruit sus,  
Hinc aper, inde leo bella nefanda mouet.  
Diua, fauente tuo potes omnia maxima Nato:  
Corrigat errores gens scelerata suos.  
Sin minus, innexas laqueis intercipe vulpes:  
Discute & immundos hoc procul orbe sues.  
Laus tua sit, retudisse vrsos, strauisse leones:  
Viuat & in nostris laus ea carminibus.  
Quæ pedibus lunam calcas in solis ami&tu,  
Omne genus, leue sit, perdomuisse feras.

## H Y M N V S 24.

*EX SALVATI ONE PARTIM ANGE-  
lica, partim ex gratulatione Elizabethe, deinde ex  
coronide Ecclesiastica contextus.*

**V**irgo, maris sidus claro quæ nomine præfers,  
Aut Dominæ eximio nomen honore tenes:  
Gaudia (nec temerè) tacito sub pectore condis,  
Omigena rerum quam fouet Auctor ope.  
Qui mare, qui terras, qui Numine complet olympum,  
Te totus deamat, & tibi totus adest.  
Tu cumulata Dei, mulier primaria, donis:  
Par tibi nulla præit, par neque consequitur.  
In priuatu causa est: vtero tu namque tulisti  
Quem decet & cæli, quem decet orbis honos.  
O selecta Patri coniux, ô filia Nati,  
Qui tibi communis cum genitore Deo est,  
Aspicenos, fessosque viæ, saturosque laborum:  
Nos hoc fasce leua, nos super astra vehe.

## H Y M N V S 25.

*Ex iisdem concinnatus.*

**A** Ve Maria, supplices  
Tibi salutem dicimus:

Tu plena

Tu plena verè gratia  
Auctore plena gratiæ.

Quam diues es, quæ possides

Deum sub alio pectore,

Cuius Deus per Spiritum

Format deum de corpore.

Tu iure Virgo diceris

Inter beata virgines,

Vt inter & puerperas

Ter, ampliusque, feminas.

E gente nullus cælitum,

E stirpe nec mortalium

Partus tui præconia

Dignè satis cantauerit,

Laudes tuas probat Pater.

Non vult raceri filius:

Vterque te cani iubet

Cæli, & soli Quiritibus.

Qua gratia proin vales

Coram Deo, per filium

Fac luctuosos exules

Inire ab illis gratiam.

## H Y M N V S 26.

*AD MARIAM VIRGINEM,*  
*In medys, quibus Ecclesia concutitur,*  
*procellis.*

**S**ancta parens, matres inter, purissima Virgo,  
Inclita Christi hominis capta, simulq; Dei,  
Quæ tibi conferri mulier, quæ Virgo potis sit?  
O decus, ô sexus spes, columenq; ue tui.  
Solis honos cedit gnato, tibi gloria lunæ;  
Noctem luna fugas, aduehit ille diem.  
Si tibi cum gnati cognatum numine lumen

Oo

Iure

Iure puererij, virgo, parensque capis,  
Fluctibus in piceis, per secula longa volutos,  
Oro, salutari numine, Diua, leues.

*In Deiparam Virginem.*

**Q**quam te memorem? quam testor, amica Tonans.  
Hæret sollicito lingua retenta metu. (tis?  
Quin mihi si certum est, in carmina soluere linguam,  
Concidit, & sterilis vis stupet ingenij.  
Post grauis Antithei casus, sociæque cohortis  
Agmina sub stygios præcipitata lacus,  
Silocus ætherea vitio superesset in aula,  
Splenderes superis inuidiosa choris.  
At tibi plaudentes certatim carmina dicunt,  
Atque supergressam cætera, suspiciunt..  
Tu fructus vteri, cum virginitatis honore,  
Candorem niueæ simplicitatis habes.  
Laude tuæ prolis quamvis supera alta resultent,  
Præterito Mariæ nomine nulla sonat.  
Quamlibet extentus sæclorum defluat ordo,  
Nulla tibi virgō par, neque mater, erit. (bit,  
Quidquid honoris habes, qui te vndiq; plurimus am-  
A nato, natifilia, mater habes.  
Quid si, nos propter, te filius auget honore,  
Omnia nos propter promptus acerba patit.  
Aspice nos, semel humanos miserata labores:  
Huc ades, & votis annue, Diua, pijs.

*Ad Eandem.*

**M**ortalium roget quis;  
Expostuletque mecum:  
Quòd artifex canendi  
Postremus in chorea  
Vatum peritiorum,  
Raucus velim, vel aufim  
Tuas sonare laudes.  
Huic talibus roganti,  
Responderim vel vno  
Verbo, virûmque pace  
Bona peritiorum:  
Me temperare ab istis  
Rudem licet poëtam,  
Non posse, iustioris  
Sententiæ tenacem:  
Quòd turpe, quòd nefas sit  
Tuas silere laudes.  
Tu virgo virginum flos,  
Decus puerarum:  
Fecunda sola Virgo,  
Intacta sola Mater.  
Tu nata magna nati,  
Magni parens parentis,  
Infamiamque tollens,  
Et probra foeminarum.  
Auctu profusiore:  
Ne sit viro pudori,  
Manus dedisse visum  
Se fœminæ priori.

## HYMNVS. 29.

*De Eadem, ad Christianos.*

**T**errigenæ (sed terrigenas quur dico, renatos  
Nempe, Redemptoris quosque crux, Deo?)  
Cara Dei siboles, cælo gens debita, magni  
Disce, vide, memora maxima dona Patris.  
Quippe, quid expofcas maius? quid conferat vlt̄rā,  
Qui dat Natum hominem, se genitore, deum?  
Is tellure super, pelago super, & super astris,  
Ad veniam, terfo crimine, quemque vocat.  
Quidquid decidiæ te laetent gaudia vitæ,  
Quidquid inéhausta noxia mole grauet:  
Spe fortis, nihil addubitans, adoluere supplex:  
Fide, repurgata mente, rogata feres.  
Si tibi maiestas forte est Diuina timori,  
Haud mora, Christiparæ quare patrocinium.  
Obvia protensis genitrix pia te manet vlnis,  
Humanam mulier commiserata vicem.  
Quam benè digestus percurritur ordo salutis! (bet.  
Nec sors, quod cupiat, quodue queratur, ha-  
Vane, quid in cœno fertente diutius hæres,  
Difficilem culpans, quæ petit alstra, viam?  
**A**d te, per Mariam, prodit Seruator, & idem  
Ad se, per Mariam, molliit ipse aditus.

## HYMNVS. 30.

*IN MARIAM VIRGINEM,*  
*verno tempore.*

**N**Vnc, quam blanditur facies pulcerima mundi:  
Mulcet & arboreas mollior aura comas:  
Solutur in eantus dum ḡtex, per inane, volantum,  
Eliquat

Eliquat assiduum dum philomela melos:  
Mellilegæ volucres ad roscida prata venite;  
Fertilis omnigeno flore renidet humus.  
Pervarios tractus, dubio certamine, ludunt  
Candida purpureis lilia mista rosis.  
Vos thyma cana vocant, vos mollia pabula florum,  
Et succus teneræ dulciculus violæ.  
Vos quoque narcissus, flos & benè olentis anethi,  
Veris & effusæ luxuriantis opes.  
Innocuis agedum properate onerare rapinis  
Crustula, discretis condite furta fauis.  
Ingentes animos versate in corpore paruo,  
Donec inexpletum perficiatis opus.  
Degeneres arcete domo, aut depellite fucus,  
Dilapidet partas ne male raptor opes.  
Demitor tantillum animal, quod commoda vitæ  
Suggerit humanæ tanta, fauente Deo.  
Dum canimus Mariæ solemnia carmina, laudes  
Nil veriti culpa deterere ingenij;  
Oblinite, ô, festas, nocturna in lumina, tardas:  
Vos date per clarum cerea dona diem.  
Christiparæ fas est famulari animalcula Diuæ,  
A quibus & sordes, fætor & omnis abest.  
Vos penes intacto surgunt examina sexu:  
Vos penes est nitidæ virginitatis honos.  
Non Venus edendæ vobis est conscientia prolis,  
Mistio ne vietit foeda ministerium.  
Partus, & integritas, isto sic fædere, finem  
Diffidij faciunt Virginis in gremio.  
Vos natura sibi partus enixa sagaces  
Admonet agnato fungier officio.  
Matrem illibatam, quam noftis fugere cera,  
Munere virgineo demeruisse decet.  
Mella, Dei sunto, fint dulcia dulcis IESV,  
Quo cælum, quo nil dulcior orbis habet.

## H Y M N V S . 31.

**A D V I R G I N E M M A R I A M ,***Ex Apoca. Mulier amicta sole.*

**V**irgo parens, virgo fecunda, intactaque mater,  
 Virgo parens Nati, sponsa pudica Patris,  
 Quid mirum, te sidereas micuisse per arces:  
 Si corpus vestit sol tibi, luna pedes?  
 Nempe tibi effulgens sol circumfusus **I E s v s**  
 Immanet, & tenebras longius ire iubet.  
 Tu pede suppresso quidquid mutabile, calcas:  
 Si quid lunaris luminis, omne tuum est.  
 Quotumcunque hominum se tollit ad æthera virtus  
 Inclita, virtuti subiacet illa tuæ.  
 Quid, quod & irradians duodeno sidere vertex  
 Gestat Apostolici lucida signa chori?  
 Hic, puto, certatim, mandato urgente magistri,  
 Hocce obeunt sacrum, condecorantq; caput.  
 Te, precor, angelicæ laudent super astra cohortes:  
 Non nisi sermo hominum serpit inanis humi.  
 Viue tuo, gaudie genitrix carissima Nato:  
**Lecta Patri coniux vna, adamata Deo.**

H Y M -

HYM

## LIBER SEPTIMVS.

## H Y M N V S . I.

**I N . D . A N N A M V I R G I N I S**  
*Deipara matrem.*

**S**n' arbor, Anna, es, quæ sterilis diu  
 Inuisa turbæ prætereuntium,  
 Nil præter aufers obloquentis  
 Dèdecus, opprobriumque vulgi?  
 Ædis minister te, simul & virum,  
 Et si immerentem, durius accipit:  
 Merens anus tectis opacis  
 Te cohibes, petit ille caulas.  
 Sed corda amantum non dirimit locus;  
 Fusas vt imo pectore nec preces:  
 Affetus ardens vtriusque  
 Peruolat astra fide efficaci:  
 Alatus illinc nuntius aduolat,  
 Qui spem senilis coniugij leuet  
 Solator, & sponsor fidelis  
 Auspicio superi Parentis.  
 Effeta foetam se genitrix videt:  
 Serum maritus se memorat patrem:  
 Et prole votiuia, probrisque  
 Exsiluere senes ademtis.  
 At non inani lætitiae vsque eo  
 Indulsit, aut hæc, aut genitor pius,  
 Quin filiam vixdum trienniem  
 Templi adytis statuant alendam;  
 Humana ne commercia quidpiam  
 Labis puellæ moribus affricent,  
 Quæ mox Deum cælo tonantem  
 Sit geni-

## H Y M N O R V M

Sit genitrix paritura Virgo.

Præclara virtus, edere liberos  
Rite educandos, non sibi, sed Deo ,  
Proleinque votis flagitatam  
Restituisse Deo datori.  
Mortem capessunt iam placidi senes :  
Fœliciori Christi auiæ datur  
Christum opperiri nasciturum,  
Bethleemio positiæ sepulcro.

## H Y M N V S 2.

*IN PECCATRICEM MULIEREM: HOC*  
*est, iudicio Ecclesie, Magdalena.*

**Q**Væsiſſe Christum, non minimi, puto,  
Res est negoci, quum premium ferat  
Quærenſis Iesum corde caſto,  
Gaudia perpetuæ quietis.  
Fontis ſalubres quiſquis amans aquas  
Vefigat vtrō, interitus, impiger,  
Diuinitus foedas repertis  
Fontis aquis maculas piabit.  
Per celsa, mirum, teſta viraginem  
Reptare, per conuiua tot virūm,  
Quos euehit cælo superbos  
Iudicium popularis auræ.  
Tersiſſe mirum ſit mage noxias;  
Vitæ prioris colluuiem imbribus  
Tot lacrimarum hauiſſe, amaro &  
Tot lacrimas comitante queſtu.  
Sensere plantæ profluuium tuæ  
Fletus acerbi, Rex bone cælitum,  
Idemque deterſas probasti  
Cæſarie per inane parfa.  
Non respuiſti dona fragrantia  
Halans amoenis vngueni odoribus;

Quin,

## L I B . S E P T I M V S .

Quin, ipſe famam prorogandam  
Differis in medios nepotes.

Per rura quidquid pulueris aridi  
Seruator erro, ſeu pede colligis  
Cœni, manu, flavo capillo,  
Fletibus officioſa, mundat.

Per rura quidquid fœmina mobilis  
Contraxit, & per compita, noxiæ,  
Lottix, Dei plantas amanter  
Dùm lauat, ingeniosa lauit.

O lacrimæ vis plus nimio efficax :

O vis amoris ſurripiens Deo,  
Demeraſa poſt vitæ piacla  
Fluminibus stygijs, amorem.

Sit fas & iſtinc ſumere posteros

Exempla, quoquod noxa reos premet:  
Mirum, optimo ni miente pura  
Exſiliant alacres lauacro.

Hoc turbulentio ſi quoque tempore

Nos comprecantes aſpicis, ô Deus:

Nec vota Cauris auferenda

Spargimus hæc miſeri per auras;

Grex in labores hic, lacrimas, graues

Queſtusque natus, dat tibi lacrimas:

Tu mutuo acceptas amore,

Quo mulier dedit antè, ſerua.

## H Y M N V S 3.

*In D. Mariam Magdalena.*

**D**Icite, quo censu, quo nomine, gente, virago?  
Quóue domus titulo? cuius amore calet?

Diues, Hebræa, ſua nomen fortitur ab arce

Magdalis hæc, Christi quām coquit intus amor. *Magda-*

Illecebræ nomen labe infecere priores,

Eſto, ſed intactum corpus ab illecebris.

Pp

Captatrix

Captatrix hominum media splendere corona  
Semper amans, capitur dulcis amore Dei.  
Illa oculos lacrimis, Christi sudore capillum  
Expiat, effusis nomen & vnguinibus.  
Qui fuerat luxus, Christi concedit in usum  
Census, & erronum quos sibi ductor alit.  
Noctes atque dies gemit, æstuat, ardet Iesum,  
Et reputat Christo uil sine dulce suo.  
Alloquis fruitur? pendet dicentis ab ore,  
Orba vel externis sensibus emoritur.  
Factio dum Iudea necem molitur amico,  
Exangui quoties palluit illa metu?  
Quam grauiter percussam animo credamus, Iesum  
Carnificis manibus quum videt urbe trahi?  
Consequitur, gemitu, & crebris singultibus haeret,  
Nec satis ad lacrimas nulla querela facit.  
Tunc & inexhausto quatitur præcordia motu,  
Nec tolerabilibus feruet adacta modis.  
Quum subito erectum per inane aspexit amicum  
Tendentem rigida membra pudica trabe,  
Irruit, æras das fecat imperterrita turmas  
Obuia sacrificis, obuia militibus.  
Ardet adire crucem: truncu dare brachia circum  
Vix bene, Romano præpediente, datur.  
Exsuperat connixa ramen; simul actus abiuit  
Cumq; pudore timor, cumq; timore pudor.  
Prima graues vultus, liuentia prima tuerit  
Ora, rubis sentum, saucia corde, caput.  
Exhorret lacero stillantes corpore plagas,  
Langida terribili lumina supplicio.  
Nunc oculos mœstam ad matrem conuersa reflectit  
Concipiens matris pectore tristitiam.  
Solari aggreditur, medio comamine victa  
Deficit; oppresso pectore verba cadunt.  
Vibices nunc mille legit per corpus amici,  
Opposito obtutu vulnera mille legit.  
Quam ferat effusis mulier solita oscula plantis,  
Quam-

Quamque libens siccet vulnera cæsarie?  
Ardua crux obstat, durum contingere robur  
Autumat egregij munera esse loco.  
Mille truces oculi, linguarum verbera mille,  
Fœmineos circum dilacerant animos.  
Præcipue erodunt conuicia pectus amantis,  
Et propè, tartareo perlita felle, necant. (tem?)  
Quid, quum triste audit lacrimantem, & triste querentem  
Tota abit in lacrimas tristior, & gemitus.  
Audiit extremam vicino funere vocem:  
Tunc queritur Christo non moriente mori.  
Caligantem oculum Phœbi, lapidumque fragores,  
Telluris tremulæ comprobant officia.  
Nec sinat auelli sacro se à stipite, donec  
Nouerit, exanimis qua tumuletur humo.  
Iam tumulum linquens, magno meditatur odores  
Emtos, præcipua composita que fide.  
Tertia lux rebus vix reddidit orta colorem;  
Festino tepebit busta relicta pede.  
Prima Dei cultu videt in candente ministros,  
Colloquio & fruitur liberiore Dei;  
Ut doceat toto doctores orbe futuros  
Prima, triumphata viuere morte Deum.  
Hinc nos colligimus, quid & hæc tibi turba fidelis  
Debeat, & fidei, Magdali Diua, tuæ.  
Quæ septem geminos è pectore dæmonas isto  
Excusit, & fletus diluis imbre notas.  
Vertice quæ sacro, quæ fundis & vnguina plantis,  
Conciliâisque pia sedulitate Deum.  
Quæ comes es viuo, morienti proxima, mortis  
Conscia victori, consociata Deo,  
Exemplis da, Diua, tuis extergere fordes,  
Affusamque malis moribus illuuiem.  
Dapuris animi stygias extrudere pestes,  
Flagrare & tepidos semper amore Dei.

**IN DIVOS, MARTHAM, MAGDALENEN,**  
*Lazarum, Maximum, & ceteros cxtorres, prospera  
 navigatione in portum Massilienem receptos.*

**H**em, quæ barbaries, patriis expellere terris  
 Immeritos? cætum imbellem? miserable vulgus?  
 Scilicet hoc crimen Christo est hæsisse, trecentis  
 Prodigis habuisse fidem, verbōque salubri,  
 Quo mens æthereæ decerpatur pabula vitae.

Si datur hoc vitio, pena plectatur eadem  
 Hospita Martha Dei, Christum quæ semper egentem  
 Fouit ope, & comitum, nulla re, nec lare, turbam.  
 Suppicio grauiore foror multetur, Iesu  
 Quæ lacrimas sacris dedit, & dedit oscula plantis,  
 Cæsarie & tercis inspersit prodiga odores  
 Viuenti benè fida comes, benè fida sepulto.

*Marcilla pedisse qui.* Non immunis eat Marcilla pedissequa, heriles  
 Adueniente Deo consueta faceſſere iuſſus,  
 Maximusque, domum totam qui fonte piauit  
*Maximi- nus postea* Ingenij diues, fandi mirabilis arte.

*Virbius, Praefat Aquensis.* Virbius his odiumque tenax exauget, & iras  
 Lazarus, horrenti nuper reuocatus ab Orco,  
 Vnde Dei magnum vicina per oppida nomen  
*Lazarus dicitur* Claruerit latè, numero accrescente piorum,  
 Nec minus inuidiâ, cæcōque furore nocentum.  
*Virbius, in vitam scz. reuo-* En, quām religio præposta, cæde cruenta  
 Nequaquam scelerare manus, sed perdere tantum  
*catus à Christo.* Velle pios pelago, pelagōque furentibus euris.

Ergo, rati haud adeò firmæ, sinc remige, velis,  
 Antenis, nullo clauum moderante magistro,  
 Impositi insontes concorditer æquora sulcant.  
 Dorsum immane maris, pondus gestare tremiscit,  
 Sollicitum, ne quâ fluctu exsuperante, dehiscat.  
 Squamigerum pecus applaudens subsultat in auras:  
 Grandia monstra maris placidè mirantur euntes.

Ipſe

Ipſe Pater superū vinclis, & carcere frænat  
 Luſtantes ventos, quo dulcibus aura ſufurris  
 Massiliæ in portum reduces aſportet amicum.

Aggere proſpexit primus ſpeculator ab alto  
 Ferri vndante falo, ſine velo, & remige nauim  
 Turpiter orbatam naualibus armamentis.  
 Dat ſignum increpitans, concurritur vndique: nauim  
 Mirari indigenæ directam Numinis aura,  
 Et miti famulante falo, ventisque ſecundis.  
 Adiſciunt vncos iam littora curua legenti:  
 Nam propè quaffatae nec ſuppetit anchora naui.

Admotam proprius gentem, vultuſque pudicos,  
 Ordine quemque, notant: veniendi noſcere cauſas,  
 Quo ſub ſole ſati, quæ ſors mala deinde coēgit  
 Tam maniſta maris tentare pericula, veſtos  
 Vndarum arbitrio, & venti, par ciuibus ardor.

Ollis ſedato dat tales peſtore voces  
 Maximius, nulli eloquio grauiore ſecundus:

Ne nos adſpice, ô ciues, viſ altior huc nos  
 Appulit, incertosque viæ, ignarosque locorum:  
 Christus hic eſt, Mariæ in terris de ſanguine cretus  
 Ex genitore Deo in cælis, cui morte ſubaſta,  
 Exhaustis lacubus, fractaque tyrranide Ditis  
 Conſidet imperij confors, ditione perenni.

Teſtibus auritis fas eſt ſi credere, teſtes  
 Adſumus auriti, queis ventus, & vnda pepercit:  
 Adſumus & teſtes oculati, credite vtrisque.

Nos dulce eloquium dociles, nos mente tenemus  
 Dicta Dei, haud ſegnes etiam vim ferre per orbem  
 Innumerabilium, quæ nouimus, oſtentorum.

Lenæum in laticem verſas ſi dicere lymphas  
 Sit leue, primitiis addemus cætera: namque  
 Si non exiguum eſt, genus omne expellere morbos  
 Corporibus, magnæ ſtygias extrudere pestes  
 Molis erit, vita defunctos reddere luci  
 Maxima ſit multo: quin & rate vectus eadem  
 Lazarus hiſce fidem faciet, poſt fata ſepultus

Pp 3

Nuper,

*Massilia.**Maximi- nus.*

Nuper, & inclusus gelido, fœtensque sepulcro,  
Voce Dei excitus superas qui prodit ad auras.

Hactenus ille Deum moribundæ in tegmine carnis  
Confessus, tendenda fero dat stipite membra,  
Figendosque cruci clavis immanibus artus,  
Sponte luens homini contractas hostia culpas.

Tum verò radios quùm sol proferre laborat  
Tertius, & patulum vestire coloribus orbem,  
Exurgit Deus ipse simul, tumulumque relinquit  
Vi propria, & comites stupefactos funere acerbo  
Irrequietus adit solator: iamque volutos  
Post decies quater inde dies, ante ora suorum  
Aëte sublimis superas penetrauit in arces,  
Vt ditione pari superis ius dicat, & imis,  
Imperio cælum quatiens, & fulmine terras,  
Quùm liber, exhilarans eadem sub fronte serena.

Hæc si sic habeant (faxit vos credere Christus)  
Nunc adeon' mirum est, si nos his appulit oris  
Incolumes? nil remi opera, nil remigis vñs?

Credo equidem, nec spe discessero lusus inani,  
Nos intentatam fugisse per æquora mortem,  
Dante Deo, cohibente notos, prohibente procellas,  
Massiliæque dari, cuius vulgata per orbem  
Integritas, in tam corruptis moribus, ipsi  
Grata Deo est, propè nunc tandem gratissima in uno,  
Quem ferimus vobis sapientibus optima, Christo.

Dixerat: accelerant illi subducere puppim  
Portus in placidos, collo dare brachia circum  
Maximio; Marthæ, Mariæque ediscere nomen  
Magdalidis. Cunctorum oculos conuerterat in se  
Dictus tartareis frater reuocatus ab vmbbris.

Hospitibus Christi, fas, sufficere omnia, clamant,  
Hospitiisque referre vicem, solatia teati.

Officijs vbi certatum est, per rura, per vrbes  
Præcipitata ruunt falsorum monstra deorum:  
Plebs intenta crucem, plebs nomen adorat Iesu:  
Siluæ, rura, cauæ valles, sub montibus altis,

Littorâque

Litoraque & fluuij, conclamant omnia Iesum  
Maximio auctore, & socijs hic præsul Aquensis  
Allegitur, teneras accit sibi Martha puellas  
Prædux certa pudicitiae, morumque magistra.

At pia secessu longo se Magdal is abdit  
Vrbe procul, strepitûque hominum, vilisque negoti,  
Ne qua Deo pactos labecula fuscet amores.  
Adlubuit rupes oculis, nigrantior vmbbris,  
Eminus horrendum specus, illætabile eunti:  
Hæc traducendæ subito placidissima vitæ  
Visa ingente cauo domus est, quo bis tria lustra  
Degeret ætatis reliquæ, nulli obvia. Nam quur  
Interpelletur, Domini quæ dulcis amica  
Solo sola Deo gaudet: quæ dulcis amici  
Pascitur alloquii, & tanquam rore fouetur  
Mortales desueta cibos, & pocula quæuis.

Iam nihil, aut minimum terrestri mole grauatur,  
Quoque die septem vicibus subiecta per auras  
Sermones miscere parans cum coniuge Christo.

Dixeris angelicos orantem attollere cœtus,  
Nec temerè, quibus ipsa aliud debere putatur  
Officium: mortis quæ deportata sub horam  
Præsul is in templum passim memoratur Aquensis  
Maximij. Stupet ille diu spectacula: notam  
Vix bene Magdalidem lacrimis affatur obortis:

Et quis te genius tandem nostræ intulit ædi,  
Te muliebre decus, te Seruatoris amicam  
Ore habituque alio? quibus aut emergis ab antris,  
Vndique & illuie, & longis obsepta capillis?

Talia querenti responsum dat breue. Christi  
Diua sui petit celerans accumbere mensis.  
Illa, dape in vt tetigit, Christi bis saucia amore  
Lætitia subsultat amans, atque atria cœli:  
Suspicit, eiaculans solitas ad sidera flammæ:  
Mox reuoluta solo extremæ dat membra quieti:  
Præscriptos tellure dies carptura soporem  
Dum tuba depositos postrema resuscitet artus.

*In D. Theclen, D. Panli discipulam.*

**N**on minimi resest momenti (cernite) Christum  
Doctore Paulo discere:  
Despuere infandos sub falso numine cultus,  
Mutosque supplici Deos:  
Delicias, & fastosi dispendia luxus,  
Fumos honorum temnere:  
Ponere degeneres curas, verumque tueri,  
Perferre susceptam crucem.  
Attulit ad poenas doctrinam, animumque magistri,  
Thecle pudica gentium.  
Consilium niuei manet alta mente pudoris,  
Præcordiis hæret fides  
Dante refusa Deo, non concessura tyrannis  
Extrema comminantibus.  
Suppetias ignitus amor fert, pectori amantis  
Sacrum ferens incendium.  
Nequidquam genitrix animum expugnare puellæ  
Conetur, aut supplex proculs  
Blanditijs, opibusque potens, quam mortis amica  
Nec poena, nec mors vicerit.  
Impasta erumpit diuulsis bellua clathris,  
Irrugit areâ leo  
Immane, horrendum spirans: iam, iamque putatur  
Hausturus ore virginem  
Rictu terribilis: vultu stat Thecla sereno  
Immota, Christum pectori,  
Ore ferens Christum; cura est hæc vna puellæ,  
Si sit cadendum, turpiter  
Aspectantum oculis ne quid nudetur, honesto  
Casu studenti occumbere.  
Quis credat Libycum mansuescere posse leonem  
Repentè, parcere & cibo

Ieiunum?

L I B . S E P T I M V S .  
313

Ieiunum? cupidum raptorem parcere prædæ?  
Pressisse dentibus famem  
Innocuo vngue feram, stomacho latrante? pudicam  
Quin & veretur virginem  
Ille, solo figens oculos, blandumque tueri  
Vult, toruitatis conscius  
Innatæ dicas custodem se addere, fidum  
Et virgini satellitem.  
Iniecisse metum metuens aduoluitur, inde  
Atrectat, & lingit pedes  
Lenis adulator, discitque obtrudere palpum  
Iam non ferinis moribus.  
Anxius ad nutus aptè iam mussat heriles,  
Exasperari nescius  
Vocibus altantum, magis at mite scere multo  
Crebris centum impulsibus.  
Quinetiam vasto, & villoso corpore custos  
Idem pudori consulit  
Virgineo, quantumque datur se mole tremenda  
Obiectat obtuentibus.  
Pollentes leo sic homines ratione magister  
Humanitatem perdocet  
Virginei custos, & propugnator honoris,  
Prædæque cultrix bestia.

H Y M N V S . 6.

*In D. Priscam Virginem, ac Martyrem.*

**H**oc æuo teneræ Christum redamare, puellæ,  
Quæritis? exemplum Prisca puella dabit.  
Flagrat amore Dei, primis vix nubiliß annis:  
Anni deficiunt ad tria lustra duo.  
Præbuit hæc ternis spectacula terna diebus:  
Nobile quarta dies attulit exitium.  
Thura Sabæa Deis yudit lux primæ negantem,  
Despicere & Claudi Cæsaris imperia.

Q. q

Ludibrio

Ludibrio primūm pupa est: ad carceris umbras  
Impactis aliquot protrahitur colaphis.  
Luce alia diris dat terga secunda flagellis,  
Dum roseus tingat membra tenella crux.  
Supplicium immitti satis hoc crudele tyranno est,  
Si modo vulnus hians feruidus opplet adeps.  
Tertia lux oritur; saevo data præda leoni est:  
Virginis exhorret tangere membra leo.  
Sæuitiaz modus hic: at condita carcere, luces  
Continuas miserè transigit absque cibo.  
Tantundem distracta fames extorquebat: adornant  
Carnifices aliud tunc quoque supplicium.  
Ferrea suspensa perarauerat vngula tergum:  
Sed constans animus, qui fuit antè, manet.  
Iamque velint prorsum flamma absumisse rogali;  
Innocuæ crines territa flamma fugit.  
Supplicij viætrix immanis, ab urbe Quiritum  
(Carnificis suadet sic pudor) extrahitur.  
Oppedit hinc mortem truncato vertice Prisca,  
Temporis, & sexus gloria, lausque sui.

## H Y M N V S 7.

IN D. AGNETEM VIRGINEM  
celeberrimam & Martyrem.

**A**gnen, tenellam quæ schola virginem,  
Et ter quaternis vix sibi cognitam  
Annis, opes iussit caducas  
Temnere, fœmineumque mundum?  
Artis magister, diuinitis ingenii  
Largitor, afflans pectora qualiber  
Etate, sexu, sæculoque  
Omnipotentibus altor auris.  
Infirmiores viribus induit,  
Plusquam & virili robore parvulos,  
Ut postulat res, ac senilem

Ad puerilia

Ad puerilia membra mentem

Accersit, & se se igneus implicat  
Plenè occupatis sensibus, ut nihil  
Mortale posthac adlubescat,  
Nil trepidum incutiat timorem.  
Non si tenebris cincta caput ruit  
Mors, expauescat Numine percita  
Agnes, semel Christoue pacti  
Iura sciens violet pudoris.

Affinitates iungere splendidas  
Lautæ parentum si libeat rei,  
Florere cum primis honore  
In domina queat urbe Roma.  
Obscena sunt hæc, quæ generosior  
Mens, mortis instar, prorsus abhorreat:  
Nudarier fert virgo ademta  
Fœminea pia membra palla,  
Testata cæli mente prius patrem.  
Diuina non fert sed miseratione  
Vel pollui aspectu profano  
Virgineum famulæ pudorem.

Olli comarum filia resoluitur,  
Quæ membra nudæ densior obtegat:  
Hæc cæca vis turbæ affluentis  
Mox oculos rapit, atque mentem.  
Ferae signum præco dedit tuba,  
Duci in luppenar sacrilegam, magam,  
Quæ Cæsarem, Christum secuta,  
Spreuerit, imperiumque Vestæ.  
Stat pura Virgo (res noua) fornice,  
Quæ consecrat fusa prece fornicem:  
Nam multa lux, vestisque candens  
Virgineos simul ambit artus.

Vindex puellæ promicat angelus  
Accensus ira, nec tuletit procus  
Impunè, quod castam scelestam  
Contemerare manu paravit

Qq 2

Intrd

Intrō irruens, sed qui prece virginis  
 Vitæ recipit munera perditæ,  
 Præco Dei, defensor Agnæ,  
 Vi supera stimulante, factus.  
 Præses capessit munus atrocior  
 Insaniendi sæuius : Is rgo  
 Mandat caput sacrum (molestas  
 Increpat vñque moras) cremari.  
 Immane visu, casta puellula  
 Flamas voraces nil dubitans subit:  
 Fissæ, fugaces hac, & illac  
 Protenus absilire flammæ.  
 Astantium non absque metu, & malo,  
 Quarante multum virgine per rogos  
 Frustra redaccensos, & ignem,  
 Et profugo mage ab igne mortem.  
 Quamquam nec ensis defuit, vt, cui  
 Flammæ negarint, exitium afferat:  
 Pulcerrimam, ceruice flexa,  
 Virgo rapit sibi iussa laurum.

## HYMNVS 8.

*In Eandem rursum.*

Redite, deposito terrestri corpore, rursum  
 Esse aliquid, ficto nec ludere nomine manes,  
 Christiadæ duri, mortem si morte subactam  
 Creditis à Christo, vitamque in morte repartam.  
 En, quæ virginæ sublimis pompa choreæ  
 Orbe vago superas se subducit ad auras:  
 Auro intertextis renitent in vestibus omnes,  
 Vultu, fronte alacri, niueis in vestibus opnes.  
 Emicat in primis Agnes, cui dexterit Agnus.  
 Duxque comæisque viæ, non vellere discolor albo.  
 Agna Agno cōmitata, ambos miserata parentes,  
 Sanguine coniunctos, cœtusque ad busta gementum

Nocte

Nocte super media, lacrimisque inflexa dolentum  
 Virginum remoratur iter, dehinc talibus infit.  
 Ne me flete super, ne me mortalibus oris  
 Poscite subtractam, ne c me, ceu lumine cassam,  
 Dicite, quæ lator circumdata luce perenni.  
 Lator & exuicias gelido posuisse sepulcro  
 Tempora præcipua melius bis cincta corona.  
 Nunc Agno comes Agna meo supera alta capessam  
 Optatum per iter, placitaque à morte superstes  
 Perfruar illius, qui me sibi iunxit, amore.  
 Vos ijsdem studiis sedes optate quietas,  
 Nec turbate superuacuo mea gaudia fletu.  
 Dixit, & adspectu charorum abrepta recessit.  
 His animos arresta, pias attollere cælo  
 Turba manus, summoque Patri persoluere, & Agno  
 Continuas (volupe est nam visa reuoluere) grates.  
 His quoque nos, & voce alacres, & pectore grati  
 Carmina succinimus, meritas testantia laudes.  
 Aurea virginibus Christum super astra secutis,  
 Si qua forte Agnes fletus pietate parentum  
 Arcuit, afflitos hac tempestate leuarit  
 Auertens precibus miseri infortunia secli,  
 Exsiccans lacrimas sub iniquo fasce gementum  
 Per Patris æterni, qui cuncta creauit, amorem,  
 Perque Agnum, teneram tenerè qui diligit Agnen.

## HYMNVS 9.

*In D. Emerentianam Virginem, ac martyrem.*

Vnt, quos longa dies, laborque multus,  
 Dissisti procul exili dolores,  
 Vrbis vincula, carcerisque pædor  
 Tetri, tristibus horridi & tenebris  
 Sensim confiant, atrociorue  
 Nouis artibus irrogata poena,  
 Flagris acribus, vſtulatione,  
 Neruis,

Qq 3

Neruis, pectinibus, rotis, securi  
Demum excarnificent, duci<sup>que</sup> Christo  
Hoc certamine milites nec vno  
Conscriptos super astra munda reddant.

At quanto<sup>t</sup> ocyus Emerentiana  
Miles emerita est, renata sacro  
Necdūm flumine, vixque perpolita  
Scitis, dogmatib<sup>us</sup>que Christianis,  
Pulcram funere quæ sibi expedito  
Virgo martyris arripit coronam?

Quamquam nemo queat negare prorsus,  
Agnæ suppicio Emerentianam  
Immunem, cruciatib<sup>us</sup>que tantis,  
Quos fert tam grauiter, premens dolorem  
Alto pectore, dum pugil beata.  
Decertauerit, euocata cælo:  
Tum magnos ea spiritus apertam  
In lucem extulit, vfa voce tali:

En, quo vos rabies nefanda adegit  
Immanes, miseri, efferi, scelesti.  
Ecquid iam superest? dolete, flete,  
Exhorrescite iudicem tremendum,  
Vtorem necis istius cruentæ.

Dixit: abripitur, volant per ora  
Coniecti lapides, furente vulgo.  
Cadit victima consepulta saxis;  
Cælum spiritus, vt Deo fruatur  
Agnæ iunctior, ocyus petiuit.  
Et sic occidit Emerentiana  
Agnæ funere proxima, & sepulcro.

Nunc vos, sanctæ animæ, nouæq; stellæ,  
Partum funere si breui fauorem  
Ambas consociare non pigebit  
Erga nos homines humi volitos,  
(Gradu vos puto proximas honorum)  
Vobis iusta piis rogata votis  
Vobis proximus an negarit Agnus?

## H Y M N V S 10.

I N S E R A P H I A M U R G I T N E M , A C  
*Martyrem Antiochensem: Sub Hadriano.*

**A**ntiochi linquis non infeliciter vrbem:  
Maxima visa bonis Roma tibi auspiciis.  
Illa solum, & solis dubios tibi commodat vſus,  
Immortalis in hac præmia lucis habes.  
Hospitis hospes adis ædes peregrina Sabinæ:  
Sed dedit exitium, quæ dedit hospitium.  
Namque tuos monitus sub pectore docta recondit:  
Ipsa tibi conflas præsidis inuidiam.  
In ius protraheris forma pulcherrima virgo:  
Si quid ab iniusto iudice iuris erit.  
Thus adolere Deis, quos temnere fortiter audes,  
Et refugis zonam soluere virgineam.  
Mors tibi proposita est præstare vtrumque neganti:  
Sed potior sceleri mors tibi præposita est.  
Audet Romulides te, Christo præside, templum,  
Vanaque cum Christo dicere coniugia.  
Summittit iuuenes, clausæ qui nocte profunda  
Illudant rapto flore pudicitiae.  
Lux Diuina nefas prohibet, quæ fulgure claro  
Raptiores fusos exanimauit humo.  
Cœlitus extinctos miseraris mane rerecto,  
Et vitæ, cassos lumine, restituis.  
Virgineis precibus nam quid Deus abnuat? ista  
Sed Prætor magicis artibus attribuit.  
Supplicia exquirit, nec pectore comprimit iras,  
Vrget & admotas ad tua membra faces.  
Tormentis neque sic furialibus ira resedit:  
Fusti tibi tundi membra & obusta iubet.  
At dūm carnifices vinci pudet, atque tyrannum,  
Ira, pudorique tibi demetit ense caput.  
Viue, decus celi, contemtrix, viue, Deorum:  
Virginea

Antio-  
chia.  
Roma.

Sabina.

## H Y M N O R V M

Virginea palmam cum pietate refers.  
**Virgo**, foue Sponsum, flagras quo tota, nec isto  
 Nos fraudes mīeros vsque patrocinio.  
**Si libeat**, Christum tam conciliabis amanter,  
 Quām bene Seraphico Seraphis igne cales.

## H Y M N V S 11.

*IN D. AGATHEN, VIRGINEM  
celeberrimam, & Martyrem.*

**N**Æ, tu tota Agathe, tota optima, tota quod audis  
 Nomine plausibili, quo totus gaudeat orbis:  
 Clara atauis, illibati sed laude pudoris  
 Clarior, infractisque animis in mille dolores.

Ter, virgo, horrifici perpesta es carceris umbras,  
 Quod leuius tibi sit, quām consuetudine turpi,  
 Conspicu, illecebris, triginta nempe dierum,  
 Scorta inter, fœdare oculos, animumque pudicum  
 Angere, Romulei malefano præsidis astu,  
 Virgineum si demutes sic forte puella  
 Propositum: Totaque via, toto impius errat  
 Et cælo. Blande meretricula adhinnit ad aures  
 Virginis incassum: nil profectura fatetur  
 Saxa vel in cæcitius flexura liquorem,  
 Quām tua in impuros mens emollescat amores.

Blanditias addit promissis denique Prætor,  
 Ambobusque minas, nisi diis des thura profanis.  
 Proficit his & adhuc tantundem: ad dira venitur  
 Tormenta: intendi videas in virgine neruos  
 Corporis: at tu animi neruos intendere contrâ  
 Haud pauido vultu, nec amaris cedere penis  
 Torta diu niueas, vel detruncata, mamillas  
 Forcipe candenti: dehinc carcere clauderis atro  
 Conficienda fame, mœrore, horrentibus umbris.

At tibi Cunctipotens per cæca silentia noctis  
**Consolator** adest; medica tibi vulnera dextra  
 Persanat:

## L I B . S E P T I M V S.

Persanat, supereft à vulnere nulla cicatrix.

Te videt eductam lux postera, teque volutam  
 Latè ardente rogo, terram dum Rector olympi  
 Concutiens, Siculam terroribus impletat urbem.

Exfluere metu ciues, immania dominant  
 Supplicia: at iudex necdum leuiora minatus  
 More suo, horrendum abstrudi te edicit in antrum.

Illic te precibus puris invicta dedisti

Exorans placida finitos morte labores.  
 Audit vota Deus facilis, vinclisque solutam  
 Corporeis animam cælesti luce beavit.

Fallor? an his surdos clamantium vocibus aures  
 Obijcis? illudens & nomine, & omne, viuis?  
 Haud ita: non talem capiunt ista atria, Christi  
 Aurea regna tui: respondes optima votis,  
 Optimus ut promtè Deus audit iusta petentem.

## H Y M N V S 12.

*IN D. APOLLONIAM VIRGINEM, AC  
Martyrem: Sub Decio.*

**Q** Vur sic refrixit charitas  
 Vergente mundo ad exitum?  
 Credentium quur cordibus  
 Inhorruit tantum gelu?

Gens dicta Christi nomine,  
 Genus sacrum, sanguis Dei,  
 Futura quæ sint usui  
 Exempla vobis sumite.

Aniculam-ne virginem  
 Fœdamque ruga cernitis?  
 Igni pio nil deterunt  
 Äui senilis frigora.

Incendiis cælestibus,  
 Quæ nutrit alto pectore,  
 Nil detrahunt immaniter

## HYMNORVM

Dentes reuulsi stirpitus.  
 Prospectat accendi sibi in-  
 Gentem rogum cunctantior:  
 Extrema comminantibus  
 Horrere moitem creditur.  
 At illa morte cum Deo  
 Deliberata, fortius,  
 Perdicis instar, aucupis  
 Lapsæ manu, in pyram insilit.  
 Hucusque seruat, ut potest,  
 Arrecta cælo lumina:  
 In gestibus totis nihil  
 Desideres constantiæ.  
 Incincta membra virginis  
 Flammæ rogales excitæ  
 Lambunt, adurunt, hauriunt,  
 Regnantque toto vertice.  
 Leues in auras prouolat  
 Incendium æstuantius:  
 En, ignibus binis cadit  
 Artus obusta victima.  
 Humanus alter cum suis  
 Prosum fauillis desijt:  
 Diuinus alter, virginis  
 Cælo reportat spiritum.  
 O si tuorum frigidis  
 Partem ignium communices;  
 O si flagrant tepentium  
 Amore Christi pectora!  
 Pæana lætum nos tibi,  
 Virago constantissima:  
 Encomion Christi tui  
 Canemus omni tempore.

HYM-

## LIB. SEPTIMVS.

## HYMNVS 13.

*IN D. COINTHAM VIRGINEM, AC  
 Martyrem, ex Eusebio: Sub Decio.*

**Q** Vid barbari hoc furoris,  
 Plusquamue belluini,  
 Per rura, per supinos  
 Montes, cauasque valles,  
 Vicos per, & plateas,  
 Et urbis angiportus,  
 In quemque iure nullo  
 Sæuire Christianum?  
 Etu Cointha, sensti  
 Teterimi monarchæ  
 Edicta sæua, plebis  
 Sensti proteruitatem  
 Licenter efferatam  
 Nefarios in ausus.  
 Non vultui modesto,  
 Non moribus pudicis,  
 Non sexui, nec æuo,  
 Natalib[us]ue claris  
 Pepercit hæc puellæ.  
 Si fortè gnata matris  
 Guttur senile fregit;  
 Si quid dolo, aut venenis  
 Aggressa perpetravit,  
 Plectenda torta collum  
 In ius nocens trahatur:  
 Ibi iure, sicut æquum est,  
 Licebit experiri.  
 An iura præter, & fas  
 Et vultui modesto,  
 Et moribus pudicis,  
 An sexui tenello,

Rt 2

Formæ

## HYMNORVM

Formæ virentis æui,  
Natalibusque claris  
Hoc præmij reponit?  
Si vult subinde raptans  
Immaniter necatam,  
Quin consulit pueræ  
Consultius pudori?  
Et tu, Cointha, cæcis  
Quod exprobres, abundè  
Habes, sed occupata,  
Sed fixa mens olympo  
Fastidit hasce curas  
Viles: tibi est Iesus  
Cordi, nec ossa amicis  
Compagibus reuulsa,  
Nec infæulta curas.  
Iactura vt ista vitæ  
Mortalis, & caducæ  
Parui tibi putatur,  
Corpusculique raptus,  
Sic enitescit in te  
Coniunctiore nexu  
Dolis amica virtus:  
Vtrumque laude dignum:  
Sed hoc, & illud anceps  
Relinquis, atque seros  
Transmittis ad nepotes.  
Vafre magis ne morte  
Tali pares triumphos,  
An fortiter, tibi astra,  
Tibi vindicans olympum?  
Nam, dum rapi pér vrbum  
Discerpta pænè, gaudes,  
Velociore cælum  
Tute inuolas rapina.  
Etu, renate Christo,  
Cælisque destinate,

Horariis,

## LIB. SEPTIMVS.

Horarijs, dolosis,  
Euanidisque rebus,  
Luto velut tenaci  
Hærere perseueras?  
Probante Rege olympi  
Accerrimam, citamque  
Domus suæ rapinam?

## HYMNVS 14.

*IN D. LVCIAM VIRGINEM, AC  
Martyrem, Syracusanam: Sub Maximiano,  
& Diocletiano.*

**H**oc edis specimen pietatis, Lucia, primum,  
Matri vt fluorem sanguinis  
Ad tumulum fistas Agathæ, fusa prece, fusis  
Multis per ora lacrimis,  
Ius in opes hac arte tibi mercata paternas,  
Sparsura mox in indigos,  
Arte alia tædas iuuenis lusura iugales  
Distracta post peculia.  
Incidis in laqueos, & fauces iudiciorum.  
Rea ad tribunal Pascaſi,  
Intendente proco litem; dicto illice præſes  
Libens ad aras abstrahat,  
Monſtrosisque ream Diuos: frustratus, in ignes  
Abire mandat virginem  
Pleraque post tormenta. animo tu cuncta virili  
Tormenta, & ignes despicias.  
Contestata Deum, cæli, terræque potentem,  
Trino timendum, & vnico  
Numine. quos alii vereantur, nomina Diuum  
Illa esse, sed non Numina.  
Intrepidè ferrum iactanti talia guttur  
Magno imperu transuerberat;  
Nectibi sic porrò fundi est sublata facultas:

*Regnum  
calorum  
vimpas-  
titur, &c.*

*Pascasius.*

Rr 3

Tran-

Tranquilla sp̄ondes tempora  
**Vaticinans**, geminos si mors prius æqua tyrannos  
 Diræ neci demiserit.  
**Inuenere** fidem non vanæ oracula: nam post  
 Ecclesiæ pax redditæ  
**Quosque** pios hilarat, demùm vt se viuere credat  
 Addicta gens vni Deo.  
**Incrementa** capit pietas, tutæ vndique Romæ  
 Fecit tyrannis otia.  
**Credibili** est, cæli te, Lucia, parte receptam  
 Sanctis quoque precatibus  
**Sollicitasse** Deum, res & fousisse labanteis  
 Crudelitate barbara.  
**Consimili** studio valeas præstare patronam  
 Hoc, Diua, cæco tempore,  
**Quo** nigris iam nunc diuturna nocte tenebris  
 Et huc, & illuc voluimur.  
**Lucem** hauri de sole Deo: tu lucida stella,  
 Tu redde lucem, Lucia.

## H Y M N V S 15.

**IN D. E V L A L I A M V I R G I N E M , A C**  
*Martyrem, ex Hermanno Contrasto: Sub  
 Diocletiano.*

**E**vlaliæ canimus, de Christo quæ benè sentit,  
 Ingenuè & loquitur  
 Animosa quiduis perpeti,  
 Si quid fortè ruat violentum. Rure teneri  
 Sub genitrice nequit  
 Timente mortem filiæ  
**Quærentis** Dominò cum morte sacrare pudorem  
 Non sine purpurei  
 Profusione sanguinis.  
**Aduolat**, increpitans Dacianum fatalcessit  
 Insua: monstra Deum

Exprobrat

Exprobrat impotentiam  
 Exaudire preces, atque irrita vota rogantis.  
 Ferreus ille, tamen  
 Forma mouetur virginis  
**Intuitu** primo, generosæ & flore iuuentæ.  
 Hunc animum exuere  
 Iubet, sibi que parcere;  
**Ad decus** & generis mentem, thalamique iugales  
 Vertere delicias  
 Diis supplicem sed patriis.  
**Acri**ter oblictans cultris excarnificatur:  
 Pectora peccatinibus  
 Incisa ferreis hiant.  
**Rursum** inter fustes, & flagra asperrima Virgo,  
 Floridulis veluti  
 Inambulat viridariis:  
**Inde** faces costis succeedunt; flamma decoram.  
 Inuolat in faciem,  
 Flauentem & oeyus comam.  
**Ore** libens bibit illa rogos, vt spiritus astra  
 Corpore deposito  
 Beator præteruolet.

## H Y M N V S 16.

**IN D. I V L I A N A M V I R G I N E M , A C**  
*Martyrem, Nicomedia in Bithynia: Sub  
 Diocletiano.*

**Q**uantum vales, ô Iuliana, viribus,  
 Conare, & aude, stringe nodis Gordij.  
(Quandò data est tibi facultas cælitus)  
 Contunde, quanvis deprecantem, calcibus,  
 Sub angeli larua, Stygis satellitem.  
 Immane monstrum vasto ab antro carceris  
 Castra manu, sed præpeditum vinculis  
 In lucem apertam protrahis, gentilium  
 Numen potens videlicet, quod mancipi

Festentis

Fœtentis instar, edometur virginī.

At iam datum plus est satis spēctaculi  
Ludibriis: detrude pulsatum probē,  
Immerge, & obrue cloacis publicis,  
Dignissimum tali domo, talem angelum.

Tibi ille Iesum, palpo dicitis subdolus,  
Tuos amiores, impudenter subtrahat  
Simulacra muta iactitans? Atqui sapis  
Edocta Christum matris à dulci vberē  
Felicius. nam præstat id tibi obſtetrix  
Prīmis rudimentis, Iesu viuere,  
Et fortiter, non conciam labis mori.

Hinc spernitur conſanter, & piē, parens  
Fœdare nifus filiam toro ethnico.  
Frutrā ille loris terga natæ diſcidit:  
Frutrā comā appensam liquore carnifex  
Plumbi æſtuantis defricat: non carceris  
Horrentis vmbbris à Dei virgo optimā  
Seiungeris præſentia. Nempe illius  
Fauore circumſepra fraudes belluæ  
Eludis, in maiora rurſum vt proruas  
Certamina. apparatus haud minax rotæ  
Vllo tibi quatit metu præcordia,  
Nec vſpiam pallore vultus inficit  
Fluitante plumbō quamdiu perfunderis  
Horrore maximo eminus ſpectantium.

Hanc carnifex tibi inuidens constantiam,  
Iugulum pueræ cultro adacto perfodit  
Ignarus, in cælum viam tibi sternere;  
Mortale namque corpus ſi Rex cælitum  
Violentiæ mortalium conſeſſerit,  
Animam peculiariter ſibi vindicat.

I N D. I V L I T T A M V I R G I N E M , A C  
*Martyrem, ex Basilio Magno.*

POne, vir, imbellis muliebri corde timores:  
Cernis vt h̄c animum plusquam Iulitta virilem  
Oſtentet? ſpolianda opibus, flammisue cremanda,  
Magnificas vt temnat opes? vt rideat ignes?

Accipe, quæ tanto fortissima pectore voluit:  
Nec ſimul armato poenit ſub iudice fati  
Aut timet, aut differt, his vocibus: Ecce, puella  
Conteſtor dubiam te, prætor, iudice litem.  
Concertatorem labor eſt conuincere nullus:  
Iamque fides eſt facta, reum produco fatentem,  
Qui raptas ſpoliator opes non inficietur  
Confidens, repetundarum nil iura moratus.

Quin reus ipſe ream me vult, ſi longius aetrix  
Experiar, veftri tutatur & ille rapinam  
Legibus imperij, quæ prædatoribus ipſis  
Ius faciant, Dijs ſi mutis non thure litato  
Cernua procumbam: vedor ipſa & dicere cauſam  
Communi priuata foro: cognosſe pigebit  
Vos quoque, contemti metuentes Cæſaris iras,  
Si me Christiadū memorem de gente ſacrata.

Ne longum faciam, Vobis rea, ſim mihi & aetrix;  
Iudex ipſa mei: ſententia noſtra feratur  
In caput hoc, nigrumque iuuet mihi figere Theta.

Rapror opes habeat, ſaluum Iulitta pudorem,  
Infandisque manus intactas auferat aris.  
Hic animus non fert, incensa thuris acerra,  
Vitam emercari, quam non det ſculptile numen.

Ite, rogum potius Iulittæ incendite; mortem  
Commeritam petit, & rapido ſe adjudicat igni:  
Hic deuota ſuo melius cadet hostia Christo.

Talia perſtabat memorans: iamque imminet igni  
S f Fœmineos

Fœmineos acuens animos in fortia facta  
 Exemplis edenda suis, ne forsitan villa  
 Deinceps mollitiem sexus caussetur inertis  
 In celebreis ausus, & honestæ mortis honorem.  
 Fœmineis addit vñnis non deesse cruentem,  
 Quem liceat Christo generosum fundere\*, carnes  
 Carnibus esse viri deductas, ossibus ossa:  
 Carnibus has carnes reddendas, ossibus ossa.  
 Dixit, & oppositos animosa exiuit in ignes,  
 Dulce mori Christo inclamans, & viuere dulce.

## H Y M N V S 18.

*I N D. M A R G A R I T A M V I R G I N E M , A C*  
*Mariyrem, in Antiochia Pisidie, sub Diocletiano:*  
*ex Simeone Metaphraste.*

**Q**uæte non deceant Epinicia, Margari? Iustris  
 Quæ tenerū viætrix modo ter tribus exigis æuum?  
 Tres tibi sunt vario deuicti marte, sacerdos  
 Nempe domi genitor, prætor sub luce forensi  
 Ollibrius, clausæ cacodæmon carcere cæco.  
 Alma parens prior in fatum concesserat, vñus  
 Falsorum supereft, gnata exhorrente, deorum  
 Sacrificus genitor: natam auersatur, & odit  
 Impius, alloquisi & semouet vsque paternis,  
 Frustra animum inuidæ connixus vertere dicitis.  
 Illa patri contemta, casas inuisit agrestes,  
 Vrbanos strepitus, moremque perosa sacrorum.  
 Innocuos pauisse greges primaria cura est  
 Innocuæ, stygij nūi Principis abstrahat astus  
 Inuitam, & variis pœnis, & fraude fatiget.  
 Forte videt pecori admistam, miracula formæ  
 Virgineæ stupet Ollibrius, dūm fertur in urbem  
 Antiochi. clarum genus audit, religionem.  
 Mentis inops tua sancta procus connubia poscit  
 Nequid-

Nequidquam: rabie fœda mutantur amores.  
 Res agitur virgis: terrâ exporrecta puella  
 Cæderis, innumeros plebs astans horruit iætus.  
 Vndique contusos stillans cruent obtegit artus.  
 Vngula succedit, quæ candida pectora morsu  
 Dissecet oblongo: dolor imæ per ossa cucurrit.

Ast auxere faces cruciatum, crebræ lampas  
 Vndique subducta & lateri, mammisque pudicis.

Proh scelus! in vastum, post terga reuincta, lebetem  
 Inijceris: fundo nil læsa emergis ab imo;  
 Munere diuino ribi dūm teper æstus aheni.

Ense recisa caput sacrum virgo occidis, antè  
 Multa precata Deum miseris, quos fascinat error  
 Mortalisque viæ vitæque insana libido. (ter

Nunc quoque, si quid Diua, potes(te posse liben-  
 Credimus) aspice nos bello, & ciuilibus vndis  
 Iactatos, fractosque iube sperare salutem.

## H Y M N V S 19.

*I N D. B A R B A R A M V I R G I N E M , A C*  
*Martyrem, Nicomedensem: Sub Maximiano:*  
*ex Simeone Metaphraste.*

**B**arbara? quur hoc te compello nomine? non es  
 Barbara, quæ Christum tam bene voce sonas.  
 Non dedit asperitas morum tibi barbara nomen,  
 Quæ Christum placido pectore, & ore geris.  
 Tota Deum spiras, & Seruatoris amores,  
 Æthereumque tuo nectar ab ore fluit.  
 Incolis aëriam sublimi vertice turrim,  
 Proxima sideribus, proxima Cælitibus.  
 Talia non sentit genitor præfigia, cæcus  
 Falsorum stulta religione deum.  
 Felix, si Triadis mysteria terna fenestris  
 Ediscat, nata significante, tribus.

Læua nimis sed mens obstat, pater en se docentem,  
 Ni rapiente foret Numine tuta, ferit.  
 Vestigat procul, assequitur, pulsatque repartam,  
 Sistit inhumanus iudicioque team.  
 Quid colat, & quo se tueatur Numine cultrix  
 Respondet posito iussa puella metu.  
 Prouecta vltierius, ridet portenta Deorum:  
 In ligna, & lapides acriter inuehitur.  
 Guttura nil clamant Dñ isti, nil ore loquuntur,  
 Protensaque datur nil tetigisse manu.  
 Stant pedibus, sed iter pedibus fecisse negatum est,  
 Ut sonus haud surdis insonat auriculis.  
 Tales si facitis, si stulte fiditis, infit,  
 Vos similes iustè talibus esse velim.  
 Ista perorantem Iudex primùm allicit instans  
 Blandius, & vitæ consuluisse monet.  
 At mox ut se operam persensit ludere, in iras  
 Profiluit immanes, suppliciumque graue.  
 Haud mora, te raptam flagris proscindit amaris,  
 Ingeminatque nouis vulnera vulneribus.  
 Sic malè mulctatam tenebroso clauferat antro,  
 Quum Deus admota vulnera sanat ope.  
 Postera lux iterat lanienam: quippe fatelles  
 Lampade subducta torret vtrumque latus.  
 Fers placide truncas inhonesto vulnere mammas,  
 Et quæcunque, Dei nomine, ludibria.  
 Lassus erat prætor, necdum patris ira resedit,  
 Supplicijs natæ non potis esse satur.  
 Ipse manus adhibet scelerato sœuior vrso,  
 Vnguibus iniectis per tua colla, ruit.  
 Heu, nullus pudor, heu pietas: pater, ecce, nefandus  
 Sustinuit propria te iugulare manu.  
 At tibi mors grata est: ferro truncata parentis,  
 Efficeris summo filia digna Patre.

*I N D. A N A S T A S I A M M A T R O N A M ,  
 Roma Martyrem, & tres sorores, Agapen, Thejam,  
 & Jrenen: Sub Diocletiano.*

**Q** Vicunq; Christum quæritis,  
 Auctore me, Christi crucem  
 Laboriosam discite,  
 Et fortiter percognitam  
 Humeros in altos tollite:  
 Sortem timentes prosperam  
 Durate rebus asperis.  
 Quocunque vos aut fors, loci,  
 Aut destinari optio,  
 Fas opperiri plurima,  
 Quæ non putetis, tristia.  
 Lupis, apris, leonibus,  
 Crudelis & notæ feris  
 Quas silua, quas rupes haber,  
 Sat conuenire cernimus,  
 Hucusque dente mutuo,  
 Cornu, recuruis vnguibus  
 Ne se audeant conuellere,  
 Genus perosæ proprium.  
 Sed quur homo mentis capax,  
 Ratione præditus aurea,  
 Animâlque dictum sanctius,  
 In generis exitium sui  
 Sæpiissimè deuoluitur  
 Mali cruentus artifex?  
 Sæuire liberos, scelus,  
 In vitam eorum, & sanguinem,  
 Vitæ quibus primordia  
 Debent, & ipsum sanguinem.  
 Quis non parentes horreat,  
 S f 3

Humanitatis insitæ  
Et impiè oblitos sui;  
Non belluino belluas  
Iræ furentis impetu  
Afferre mortem liberis?  
Iam verò nactus quispiam  
Probam, pudicam coniugem,  
Viri sui complexibus  
Hærentem amore nexili;  
Vxorius tam sit parùm,  
Vt non amantis ipsemet  
Amo ribus respondeat?  
Tam saxeus? tam ferreus?  
Tori iugalis impiè  
Demittat vt sociam neci?  
Tu, Diua, talem Publum es  
Expertæ, lecti comparem,  
Sed non eisdem moribus,  
Vnius vt non et Dei  
Intaminatis titibus.  
Præfractus ille, pauperum  
Ignarus indolescer e  
Afflictionibus, sui  
Perparcus æris & tenax,  
Tam liberalem non tulit,  
Et Christianam coniugem.  
Quin & furore percitus  
Prorupit huc dementiæ,  
Innoxiam te squalido  
Vt manciparet carceri.  
Impingitur grauissimum  
Crimen, fouere scilicet  
Horrente conclusos specu  
Christi fideles affeclas.  
In his, & vrbis maximæ  
Antistitem solarier  
Pecuniis, almonia,

Pijſque

Pijſque scriptioribus,  
Genere, atque nomine aureum.  
Næ Christiana coniuge  
Vir visus indignus Deo,  
Sublatus orbe disperit,  
Haud planè inultus: antè, tres  
Sanctis tuis hortatibus  
Animosiores occidunt  
Secto sorores vertice.  
At tu soluta vinculis  
Vrges virago pristinum  
Opus flagratis, exæstuans  
Ardore sueto, aut amplius.  
Liuoris hinc occasio,  
Incendij, crucis nouæ.  
Minax ad aras Satrapes  
Te protrahit, nil proficit.  
Tantundem & alter, exigens  
Quas abnuit suis opes  
Magni Parentis filius,  
Vitæ magister pauperis.  
Scite excipis dipterium;  
Te scire egenos inquiens,  
Quibus libens facias bene,  
Prædiuit non satrapæ.  
Commotus ille, te rapit  
Penitissimos in carceres,  
Miserrimè multos dies  
Tantùm necandam non fame.  
Malesuada nil abs te fames.  
Extorquet, & nil consili  
Immutat, aut sententiæ  
Prioris imo in pedatore.  
Ibi Deus palmarium,  
Ibi regna Christus possidet;  
Vincenda nullis artibus,  
Cessura nullis ignibus.

Chryſo-  
gonū ſcz.

Quid

## 336 H Y M N O R V M

Quid plura? tetro carcere  
Educta tandem, haud molliter  
Palo alligatis: vndeque  
Sarmenta, fasces ingeri  
Vultu sereno prospicis,  
Qua tu cupis constantia  
Ardere fatalem rogum.

Iam fumus ignem proximum  
Surgente nimbo nuntiat:  
Iam flamma fumo proxima  
Frontem sacram depascitur:  
Dum suspicis superas domos,  
Inflexa leniter caput,  
Spe freta, nec dubia fide  
Committis astris spiritum,  
Habens nihil quod hæsites  
Tribus comes sororibus,  
Quas sub tua vita exitum  
Præmitis alta ad sidera.  
Sed quid vetat, quin immorer  
In nominum præfigiis,  
Non otiosè quæ datur  
Præferre vobis quattuor?

Vitam caducam respuens,

Anasta. Anastasin titulo sonas

fia. Æternitatis consciac:

Agapa. Est, Charitatis nobili

Quæ symbolo se venditet:

Theia. Diuinitatis gloriam

Cordi esse dicas tertiam:

Jrene. Postrema pacis ultimam

Secum gerit mysteria.

Huc, huc sorores quattuor

Adeste, cæli stellulæ:

Fauete præstolantibus

Nobis diem nouissimum,

Quo charitatis ignæ

## LIB. S E P T I M V S.

337

Incendio feruentibus  
Cantanda sæclis omnibus  
Impartietur Trinitas  
Æterna pacis fædera.

## H Y M N V S. 21.

I N D. D O R O T H E A M V I R G I N E M , E T  
Martyrem Cesariensem à Romanis oriundam:  
Sub Diocletiano, & Marimiano.

D Orothea, æterno datur hoc tibi munere, carnem  
In carne præter viuere.  
Tu pura es sceleris, tu tota libidinis expers,  
Cæli colonis æmula:  
Virginitatis ut es tam custos sedula, sic te  
Tormenta nulla frangere  
Eualuere: Deo, non dijstu mente litabas,  
Cadens pudica victima.  
Vox tua per medios sonat, vñteriora paratam  
Perferre Christi nomine.  
At magis excruciat te cura utriusque sororis,  
Christo semel deperditæ  
Vi tormentorum: fulcis sermone relapsas,  
Tibiique iungis arctius,  
Ut nihil addubitet pro Christo occumbere, binis  
Statim resecto vertice.  
Exemplis generosa tuis, & morte perurges  
Flatu citatas entheo.  
Ingens prodigium est, te, post tua funera cuidam  
Cœlestè dono mittere  
Mnemosynon, lectos, velut horto diuite, flores  
Christi viretis ex tui.  
Seu velit arboreos foetus, seu malit odores,  
Curas in aulam cœlitus  
Deferri: simul is pacto cum munere, mentem  
Dignam Deo aulicus induit,

T

Iam

## Incendio

Iam Christum sitiens, Christoque reponere vitam  
 Prægestiens cum sanguine.  
 Hoc à Dorothéâ, magno cum fœnore, munus  
 Tunc accipit protographeus.  
 Si manet hic animus tibi, qui fuit, astra colenti,  
 Benignitatis quidpiam  
 Diuino de fonte reis mærentibus hauri,  
 Remissionem noxiæ  
 Multiplicis primū, & deinceps da viuere rectè;  
 Constanter, & piè mori.

## H Y M N V S 22.

**I N D. C A E C I L I A M V I R G I N E M , A C**  
*Martyrem, Romanam: Sub Marco Aurelio  
 Antonino.*

**Q** Vò nympha sese fert holosericis  
 Et virginali splendida flammeo?  
 Deducitur noctu accubantis  
 Contemeranda manu matiti?  
 Ah, tale nil de virgine cogitent  
 Quoscunque tellus sustinet atque alit:  
 Peccus Deo soli integella  
 Addicat, & cupidos amores.  
 Idcirkò tædas coniugis ethnici  
 Horret quidem; sed sollicitus parens  
 Despondet ipsam præpotenti,  
 Dissimulante licet puella.  
 Frustra hymenæus tecta repleuerit:  
 Frustra maritus sparserit & nuces,  
 Quæ cordis arcano receſſu  
 Carmina, sed meliora pangit.  
 Summo Parenti, munditiem expertens  
 Intaminatam, carmina filio  
 Summi Parentis, cuius ignes  
 Pectore sub tacito recondit.

Ad con-

Ad coniugalis fœdera copulæ  
 Sponsus pudici propositi inscius  
 Frustra aduolat, mensis remotis,  
 Atque epuli reboante plausu,  
 Maiore lucro: nam vetitus sacrum  
 Tractare Christo corpus, & angeli  
 Custodis obtutus minaces  
 Effugere, institente sponsa, &  
 Discit salubri tergere noxias  
 Omnes fluento, ne dubitet mori,  
 Tyburtio ad mortis triumphum  
 Fratre simul prius euocato.  
 Hos fistit ambos virgo polis viros  
 Sanctis politos egregie artibus,  
 Quos ipsa doctix subsequentे  
 Vincat, & exsuperet triumpho.

Certamen ut cunctantius, acrior  
 Sic cœpta concertatio postmodùm:  
 Fraus mista promissis opis mis  
 Retibus integitur dolosis.

Opes necatorum quoque posthumas  
 Exquirit ardens Alломачus, minas  
 Addens preci: spe lufus omnes  
 Pauperibus furit erogatas.

Elargiendi callida protinus  
 Auctor cremari iussa domi est aquis  
 Feruentibus, seu balneari,  
 Sed renuente nocere, flamma.

Vix tertio iuctu vulniferi ferus  
 Enfis puellæ funera carnifex  
 Maturat, & sic parricidæ  
 Præsidis exsatiat furorem.  
 Fas opperiri talia præmia  
 Virtutem, & æquum, iusque colentibus,  
 Curasque, nexos & catenis  
 Pascere spe haud dubia labores.

Tybur-  
tius.Alloma-  
chus.

IN D. CATHARINAM VIRGINEM, AC  
Martyrem, Alexandrinam; Sub Maxentio.

NÆtu carmine digna sempiterno  
Huius, illius, vsque, & vsque vatis,  
Quotquot sol oriens videt, cadensue.  
Honos, gloria, flos puellularum,  
Præstans ingenuo decore vultus,  
Nulli moribus & probis secunda,  
Casta, nobilis, erudita virgo.  
Te nil mitius inter est modestas,  
Te nil castius inter integellas,  
Nec formosius inter est sodales:  
Prælucet atavis ut ipsa claris,  
Sic doctissima litteras & ornas.  
Exemplar iuuat esse te puellam  
Pudoris niuei integris puellis.  
His natalibus, atque claritati  
Dirum congruit increpare regem:  
Huic & conuenit eruditioni,  
Sophis dogmata tradidisse Christi.  
Quid restat, nisi dotibus tot austæ,  
Mente, corpore, dotibus trecentis,  
Fuso sanguine, te Deo sacrari?  
Iffes, si libuisset ire, nupta  
Dites in thalamos potentiorum,  
Dijs modò digitis tribus litares:  
Sed doctæ simulacra muta fordanæ,  
Et præstantior ignis intus exest  
Tibi viscera: Christus hic Iesus,  
Amans ipse tui, vicissim amanti  
Qui depascitur intimas medullas  
Toto corpore, corde, mente fusus:  
Plumbatis moueare cæla longum

Vt nihil

Vt nihil scuticis, duas vel horas  
Stillans sanguineo fluore tota,  
Dùm cunctis miserabilis videris  
Discissa cute, diffluente tabo,  
Tute sola tui nihil miserta.

Sic te némpē tenes placere Christo  
Mulctatam, roseum prior cruxorem  
Qui sic miserit, vt suos alumnos,  
In his &, Catharina, te piaret.

Sic te vult Deus, ipsa nec recusas,  
Affectam malè, quæ iubes per ignes,  
Conspectu è medio, prius sophorum  
Turbas ire, dehinc & ipsa cogis  
Cum suo quoque militem tribuno  
Christi nomine, sed tui suasu  
Exempli, gladio truci perire:  
Si dicendus erit perisse, Christo  
Qui luci cecidit, duci que vitæ.  
Quo se Cæsar & modo vxor vtrò  
Pie, & fortiter hostiam dicauit,  
Nil te vt tædia carceris morari,  
Subtractumque cibum videt diebus  
Vndenis. Stupuit diu paratam  
Impactis gladiis rotam minacem  
(Inuentum cacodæmonis scelesti)  
Sed multò magis illa dissolutam,  
Distractam impete turbinisque cæci  
Te salua. Actior hinc, alacriorque  
Collum nobile subdidit securi,  
Duri Cæsar, impiique coniux,  
Cælo austura choros beatiorum.

Iam restas, Catharina, quæ pudorem  
Viætrix hactenus incutis tyranno:  
Nullum non lapidem mouet, queat si  
Expugnare animum miser puellæ:  
Ecclix & ter, & amplius futurus,  
Si se flexanimæ sinat puellæ

T 3

Expugna-

## H Y M N O R V M

Expugnarier ipse : læua sed mens  
 Transuersum rapit vltimos in actus,  
 Tibi vt lactea colla diuidantur  
 Ensis fulminei cito rotatu:  
 Verè lactea colla, quæ merum lac  
 Loco sanguinis, albicante fluxu  
 Fundant. Prodigio sed haud minore  
 Adest aliger angelus minister  
 Pollinctor, tumulique inusitatus  
 Structor, virginem Sinæ cadauer  
 (Is mons est Arabum, nec incelebris)  
 Cursu præpete qui iugis recondat.  
 Hæc si theca animæ decus meretur  
 Tantum, gleba putris, cinisue siccus,  
 Motus viuifici, & caloris expers;  
 Quos non, sancta anima, auferas honores  
 Inter sidereas micans phalangas?  
 Aut quidnam Deus abnuat roganti,  
 Quod sit supplicis ex clientis vsu,  
 Si non te capere id piget laboris?  
 Te te, non Aganippides puellas,  
 Quæ ceu somnia sint anicularum,  
 Festa in carmina voce te vocamus  
 Honesti studii, otiique amantes.  
 O virgo, specimen sacri pudoris,  
 O cœli decus, ô amica Christi,  
 Tam nos perpetuo iuues fauore,  
 Quam te perpetuis libenter odis  
 Concordi pietate concinemus.

## H Y M N V S 24.

**I**N D. P R A X E D E M V I R G I N E M R O M A -  
 nam, mœrore intolerabili ob Christianorum cedes  
 confectam: Sub Marco Antonino  
 Imperatore.

**E**T sapere, & fari, præstare & maxima factis  
 Dat tibi Cunctipotens,

Virgo

## L I B. S E P T I M V S.

Virgo pudica, nec minus  
 Ipsa Dei, sicco quantūmuis funere, martyr,  
 Idque iterum, & quoties  
 Firmas futuros martyres  
 Et re, & consiliis, hortatu feruida, ne quis,  
 Cursibus in mediis,  
 Animo fatiscat languidus.  
 Quod si contigerit, propria tu morte redemptum  
 Christiferæ cupias  
 Infensa gentis dedecus.  
 At furor inualuit; regnat toto orbe tyrannis  
 Nescia suppliciis,  
 Christique amantum cœdibus  
 Expleri, perculta tibi præcordia rodit  
 Nocte, diéque dolor,  
 Vitæque acerbæ tædium.  
 Cœlicolum Regem precibus, votisque fatigas,  
 Tollere te è medio  
 Ægræ hæc ferentem ut peruelit.  
 Annuit, optata commutat tædia morte:  
 Te super astra vehit,  
 Cœli beatque gaudiis.  
 Si nunc, Diua, tuos tibi fas meminisse dolores,  
 Aspice temporibus  
 His turbulentis anxios  
 Christigenas numero ingenti, queis viuere poena est,  
 Assidue misericordia  
 Mors longa, lentius mori.

## H Y M N V S 25.

**I**N D. B I B I A N A M V I R G I N E M , A C  
 Martyrem, Romanam. Sub Juliano Imperatore.

**E**Dita tu faustè Fausto genitore, virago  
 Quam benè materno Christum cum lacte bibisti  
 O Bibiana: tuos ille ut transfusus in ortus,

Inqve

Inque imas sensim tenera est xstate medullas,  
Hæret ita in reliquos magnis successibus annos.  
Quin mentem exacuunt exempla domestica, puræ  
Addita doctrinæ, mors clara vtriusque parentis,  
Inque manus deposta Dei data munia vitæ:  
Blanditiis ne pôst gladio aut moueare cruento,  
Fortis imaginibus patriis, & honore triumphi.

*Faustus.* Namque bonis auibus prætori tradita Fausto,  
Orsa loqui, quæ relligio germana, Deus quis  
Sponte creat, solusque replet, solusque gubernat  
Omnia, & occasus idem mederatur, & ortus,  
Empyreos tractus habitans, testudine templi,  
Aut circumductis posito de limine muris  
Nescius arctari, quem nemo viderit vnquam  
Conspicuum humanis obtutibus, vt neque in auro  
Sit potis, aut ligno signari, aut visilis ære:

Hæc, inquam, dûm mellifluo depromis ab ore  
Enarrans sermone graui, mutatus ab illo  
Defensore Deûm, sed captatore puellæ,  
Ille tuus iudex capit, faustumque subiuit  
Plenius edoctus Christi mysteria, mortem.

Interea, tu contemtrix animosa Deorum,  
Gnara, viros & ab impuris auertere sacris,  
Ipsa tibi desis in relligione tuenda?  
Stare loco metuas? caput obiectare periclis?  
Mille subire neces, si pro pietate cadendum est?

Non imbellem adeò te Cæsar apostata sensit,  
Dûm tibi plumbatis, densato vulnere, corpus  
Virgineum laniat scuticis: tu mente furores  
Sacrilegos temnis, superas tu verbera, lassos  
Carnifices, obiens, consumto corpore, mortem  
Mutandam requie superum, vitaque perenni;  
Vt discenda viris constantia virginis olim  
Suppetat, & dignum Bibiana martyre carmen.

*I N D. MARTINA VIRGINEM, AC  
Marryrem Romanam: Sub Alexandro Imperatore.*

**H**Æc studijs claret sophiæ Martina, nec vno  
Canenda Marte, aut simplici,  
Quæ Christi monitus tenetis meditetur ab annis,  
Versans sub alto pectore,  
Contemtrix & opum, lâmnæque inimica refossæ  
Rem largiatut indigis.  
Discipulam Christi produnt pia facta: tribunal  
Ad Cæsaris rea sistitur.  
Effugiat poenas, & amico iudice, mortem,  
Libare dijs ni perneget.  
Cultibus illudit patrijs, & Cæsaris iræ  
Bis passa tetros carceres,  
Pectoribus duris excarnificata, mamillas  
Auulsa forcipe aspero.  
Sic & inhumanis laceram crudeliter ausis  
Feræ timent contingere,  
Quidquid in obiectam ciecat dementia prædam  
Humana parcere in scias.  
Emedio demum tolli, ceruice recisa  
Iubetur inuisum caput,  
Romuleos extra muros, quod dignius altis  
Sit cælitum palatiis.

*I N D. MONICAM, MAGNIILLIVS  
Augustini matrem.*

**P**Er medios coetus, numerosaque millia matrum  
Vna venis, Monice, versu memoranda canoro,  
Nobilis Augusti genitrix, quem nemo latius,

*Augustini  
scz.*  
*Alta*

Sæpius optatam, culto sub Numine, mortem.  
Fata suprema videns, nati, quum stabit ad aras  
Sacrificus, rogatas precibus, votisque iuuari;  
Ne qua leuis forsan contagio moribus istis  
Hæferit, aut blanda lactarit imagine sensus  
Incautæ damus hoc virtuti, animoque modestæ,  
Ne sibi quid tribuat, quum multa, & magna datori  
Regi accepta ferat superum, sibi sordeat ipsi.

Nunc in te sit tale nihil, quæ purior auro  
Et longè, & latè super astra micantia fulges;  
Afflictis fer opem, matrona, rogata vicißim:  
Solaris satagas studiis communibus ægros,  
Tûque, puerique tuus, pietas ut iuncta duorum  
In nos terrigenas, memori mihi laude vehatur!

## H. Y. M. N. V. S. 28.

IN D. ODILIAM VIRGINEM: SVB  
*Childerico rege Gallorum 14.*

**R**egibus quis te, generosa, Francis.

Editam, Virgo, memoret? cubile.

Pellis vrsina est, rude, & impolitum

Culcitra saxum.

Hic honos fugisse tibi est honores

Sæculi fluxos, & amare temni:

Hinc tibi spretis opibusque parta est

Maior opum vis:

Quam nec ærugo vitiet, repostam

Cælicis, astu potiore, capsis,

Quam rapax furis neque fraudulentem

Sublegat vnguis.

Tu licet mater pietate, rectrix

Et gradu sacras præcas sorores,

Creditas inter minimi facis te

Magna puellas.

Arido vietu, precibusque puris,

Vv 2

Et pia

## HYMNO RVM

Alta supergressæ scelici indagine mentis  
Æquiparet, doctor non Graius, & ore rotundo  
Sacra Dei extensa retegentem oracula nube.

**T**atritiū  
*scr.* Fœlix obsequiis Christo elucrata maritum  
Ante, senem gelido claudas quam marmore coniux:  
Fœlix & genitrix enixa puerpera natum  
Terrigenum haud turbis, sed, quod tegit omnia, cælo.  
Quas, age, non terras, quæ non spatia æquoris alti  
Huic indiuiduo mater iunctissima nexus  
Permessa es, fortis patrios contemnere fines,  
Quidquid molle tibi solita dulcedine pectus  
Titillet natale solum, fundusque paternus.  
Illa tibi patria est, ubi natus confidet, illuc  
Coniugis est chari tumulusque, lareisque paterni.  
Illa tibi porrò lux iucundissima fulget,  
Qua cernis sacro tua pignora fonte renasci;  
Atque Dei caussæ surgentem ex hoste patronum.  
Te lacrimas te quippe negem, & suspiria, quum tu  
Lætitiam ingentem commoto pectori mater  
Conciperes, cælis inhians, superumque Parenti,  
Impos & ipsa tui, & longos oblita dolores,  
Ambrosio lætum pæaria canente magistro,  
Ciubus attonitis media testudine templi,  
Sucentore tuo diuina in carmina nato.  
Non multi fluxere dies, quum rædia vitæ  
Vix æuo cepere grauem: natoque, tibique  
Te vixisse satis crebrotestaris: olympi  
Nunc te angit desiderium, quod lucis amœnæ  
Sol fator, aut clari non impletat ætheris astrum,  
Quidquid & hic oculis spectantum subiicit orbis.  
Ille tibi expetitur, quem mens lustrata fruendum  
Flagitat, ambit, amat, suspitæ in omnibus vnum,  
Qui mare, qui terras compleat, mentemque beatam.  
Iam corpus (quamquam grauis & mora) decumbenti  
Febris anhela quatit, iam vires hausit & omneis  
In nonum protracta diem: tu iura sepulchri  
Obvia quæque petis: nec enim muliebriter horres

Sæpius

## H Y M N O R V M

Et pia quavis meditatione  
Cesseris nulli, niueique nulli  
Laude pudoris.

Hoc tibi constas vigil instituto,  
Detrahens annos nihil in seniles;  
Pœnè detritam studiis eisdem  
Fata tulerunt.

Nec prius, quam te saties abundè  
Frugibus vescis, dape consecrata:  
Atque diuini repetita libes  
Pocula amoris.

Diua, sis fœlix, ter & amplius te  
Poscimus, si lustrica fonte sacro  
Lotio, vitæ tibi reddit ipso in.  
Limine lumen,

Sorte si lucem meliore nocta  
Pectoris casti, nebulas inanes  
Regis abrumpis stygij, grauata  
Corpore tardo:

Corporis vinclis modo si solura  
Liberè æternum iubar, affatimq;  
Haurias, partem miseriæ amœnæ  
Diuide lucis.

## H Y M N V S . 29.

*XII. D. G E N O V E F A M U I R G I N E M ,  
apud Lutetiam Parisiorum; Sub Childerico Gallorum  
Rege 14. Temporibus Attila.*

T E canere aggressum quæ me vis aspra fatigat?  
Grandia dum conordicere, deficio.  
Ast animum reuoco, obluctor, saxa obuiarumpo,  
Ne semel inceptum Musa moretut iter.  
Sic mala sors te figentem vestigia terris  
In cælum facili non finit ire via.

Octoginta hyemes fers, ô fortissima, vitæ

Vndique

## L I B . S E P T I M V S .

Vndique permistas casibus innumeris.  
Prima tibi pietas matrem commouit iniquam,

Infregit colaphum mater iniqua genis.  
Non ita post multò est vindicta secura parentem:

Pertulit hanc annos, lumine cassa, duos.  
Tum bis, téreue oculos aquula suffundis anileis:

Lustratur subito lumine visus hebes.  
Quid benè non facias aliis, quæ lucis amicæ

Vsuram matri sedula restituis?

Auspiciis istis satis est clarescere: longis  
Cum morbis veniunt bella gerenda tibi.

Humida soluuntur languente in corpore membra,  
Laxaque vix hærent ossibus ossa suis.

Semianimis recubas treis totos ordine soles:  
Non calor in stupido corpore vixque color.

Sacra tuæ sunt hæc animæ commerciæ, Christo  
Cognita quæ soli, sunt adamata tuo.

Numine fæta, acies immanis despicis Hunni:  
Sola metu soluis Parisiense solum,

Quidquid sacrilegi sententia fluctuet anceps,  
Dispereas saxis, dispereas an aquis.

Indoluere tuo trepidi in discrimine ciues,  
Qui probitate magis, iudicioque valent.

Expendunt vix credibili iejunia ritu,  
Ductaque in altermos vota, precesque dies.

Sunt, tibi qui memorent cæli conuexa tuenti  
Fletibus assiduis commaduisse genas.

Elicit hos cælestis amor, qui mollia torret  
Pectora, terrestris mœror, & exilij.

Vita tua est, prodeesse aliis tibi nil dare soli,  
Adferre & medicas ad mala quæque manus.

Quæ sibi præstiteris Laudunas dicere possit,  
Dicere Meldensis, Turo, vel Aurelius.

Te præsente tumet populosâ Lutetia, te te  
Fert oculis, ciuem tollit ad astra suam.

Commemorat bis sex electo dæmone saluos:  
Farte peregrino pulsâ pericla famis:

*Genouefa  
paralyticæ.*

Attila.

*Laudu-  
nas. Mel-  
densis.*

Turo.

Aurelius.

Suggestamque sacræ calcem structoribus ædis,  
Poculaque exhausti continuata meri.  
Cereus huic celeber, venti contemtor, & imbris,  
Multimodam morbis ferre repertus opem.  
Stare, audire, loqui puer ortu ignarus ab ipso,  
Audit, & auxiliis stat, loquiturque tuis.  
Cætera si numerem numerum superantia, vanus  
Obruget, elusum destituëtue labor.  
Insignem meritis, claram virtutibus, æuo  
Iam saturam pietas te super astra vehit.  
*Name-* Parisij tumbam, dat cunas Namethedrum:  
*hedorum* Hic chorus hoc carmen dat tibi, quale potest.

## H Y M N V S 30.

*In D. Brigittam.*

**S**i tibi, Brigitæ mutato nomine, nomen  
Pyrgitæ indatur, dicere simillima turri  
Cuius humo ductum consurgat in astra cacumen.  
Tu mortale nihil, terris super aurea virgo,  
Mente agitas, Christi solos meditaris amores,  
Vndique corrupti fugiens contagia sæcli.  
Quanti sis pretii, monstrauerit igne corusco  
Taetus apex capitis, nam flammæ vertice in alto  
Confessisse tibi, mirati incendia, patres  
Commemorare solent, lætum spectantibus omen,  
Edita certatim, numeroque parentia per te  
Prodigia, in triuïis contenta voce canentes.  
Sit satis ignitam nobis stupuisse columnam,  
Hærentem capiti Diuæ, quam Rector olympi  
Delectam sibi solus agit, solisque gubernat,  
Indicisque nouis æternæ destinat aulæ  
Exsortem culpæ immundæ, veterisque piaci.

Tu, quam cælicolûm Pater hoc dignatur honore,  
Diua, faue, & tenebris mersos, scelerumque profundo  
Respice: da per iter vitæ fugientis opacum

Ad cœtus

Ad cœtus hilares, immortale inque coronam  
Cognitione Dei fretos, ceu luce corusca  
Cœlitus æthereæ ductatier igne columnæ.

## H Y M N V S 31.

*In D. Elisabetham Hungaricam.*

**S**pes, & propago regum,  
Quis triplici puellam  
Quinquennio minorem  
Te principantis aulæ  
Ab aulicis, proteruis,  
Salacibus subinde  
Sic auocat choreis?  
Quis hos pedes tenellos  
A ludicris retractos  
Templa ad terenda ductat?  
Quorsum tenebricosa  
Nox obsecrationi  
Per te datur, volutis  
Per strata dura membris?  
Quis hasce febrenti,  
Quis & stipem petenti  
In gratiam Parentis  
Communis, inque Christi,  
Ad æra largienda  
Manusculas adornat?  
Quis præter, ecce, sexus,  
Æstatulæq; morem,  
Puellulæ pusille  
Animum inserit virilem?  
Quam nobiles puellæ  
Ad æmulationem  
Fœlicis instituti  
Pulcrè allicis puella!  
Talem preire primo

Sic addecebat æuo

Nutu Dei potentis

Sanctissimam puellis

Sanctis ducem puellam

Quæ coniuges honestas

Integritate coniux

Et laude sanctitatis

Facillimè antecedat.

Vxorios maritus

Mores probat, frequenter

Ius &amp; thori relaxat,

De nocte secubantis

Ferens precationes.

In lacrimas amaras

Soles abire tota,

Dum vi precationis,

Riusque lacrimarum

Extorqueas rogata.

Si supplicationes

Te publicæ requirant,

Et erudis, &amp; ornas

Discalciata pompam.

Nec ducis ipsa probro,

Te principem sedere

Subfelliis in imis;

Grauaris ut nec inter

Obambulare egenos,

Quæ nuncupata nutrix,

Et mater indigorum,

Fouisse, &amp; vlcerojos

Pluris facis triumpho

Terfisse Lazaritas.

Nam pauperum tabernas,

Languentiumque morbo

Putres obisse lectos,

Tapetibusque pictis,

Spectaculisque præfers,

Palatijque

Palatijque cœnis.

Specimen duplex sit istud

Virtutis in puella,

Iuncta &amp; toro iugali:

At nunc, volente Christo,

Ad tertium vocaris:

Princeps abit peregrinæ,

Et mox obit maritus,

Impunè sœuentum

Libidini relicta:

Ne vindices teipsum

Avi nefariorum,

Doctura quā libenter

Sortem exuas secundam,

Et quā feras modestè

Decussa duriorem.

Quar sit tibi molestum,

Arce ēiici superba,

Censūque sumtuoso,

Quæ fortiter, piéque

Fastidiosa temnis?

Nec liberos moraris

Promta exulare mater:

Concredidisse alendos

Cuidam, sat esse ducis.

Duringij relictis

In Hessiam recepta,

Quod dotis est penes te

Duringicæ, affluenter

In languidos, egentes,

In templo celsa confers,

Vilissimo paratu

Ut vestium, cibiisque

Tibi ducta vita conster,

Quem pensa carpta, acusq;

Instanter elaborent.

Illud celebre, cœtu

Xx

Duringij

Hessia.

Quod

## H Y M N O R V M

Quòd in pedissequarum  
Non fers herile nomen  
Tanquam nimis superbū  
Huic, quæ veretur vnum  
Enubibus tonantem.

His artibus pueria,  
His artibusque nupta,  
Cælebsque comparati  
Quem nunctenes olympum.  
Elisabetha si nos  
Et tu libenter audis,  
Quo more tu solebas  
Terris super, misellos  
Vlto iuuare, ne sis  
Nunc surda conquerenti  
Sub mole tot laborum.  
Ades benigna mater,  
Aurem applica vocanti.

## H Y M N V S 32.

*In D. Claram Virginem sanctissimam.*

Cernite fœminei decus haud ignobile sexus,  
Corpore fœmineo  
Sub sera natum tempora.  
Hæc est Assisi fœliciter æmula ciuis  
Veste, cibis, studio,  
Virtutibus simillimis.  
Ille, viros Christi succenderit auctor amore  
Agmina mille trahens:  
Hæc virgo sancta fœmitas  
Virgineis dextro conclusit Numine septis  
Corpora cælituum:  
Consortiis idonea.  
Hic ego crediderim, dextra, lxxuque frequentes  
Inuolitare Dei

Creber-

## L I B . S E P T U M V S .

Creberimè interiuntios,  
Tradentemque piam præcepta salubria matrem  
Morigeris gregibus  
Mirari, & obstupescere.  
Hic vox, singultus, suspiria & vna sororum;  
Numinis Vnigena est,  
Communis & flamma omnium.  
Ut mens composita est, ita mens, ita lumina: mores  
Vndique coepositi  
Produntur intuentibus.  
Matre pia stygius nequidquam adsibilat Anguis  
Affiduè vigili,  
Ec virus afflat irritum.  
Quin Pater altitonans supera prospectat ab arce,  
Optimus excubitor,  
Castisque cultos ordinis.  
Ecce Saracenæ iam menia pœnè vorabant  
Afflitiana acies:  
His se iubet ferri obuiam  
Clara: graues artus, morbo superante, trahebat;  
Dum premit obsidio  
Ciues timore perditos:  
Atque inihi testata sacræ mysteria capse  
(Illa salutis habet  
Certissimum viaticum)  
Imperat immunes præsenti à morte puellas;  
Vota probante Deo,  
Faustis ab alto vocibus:  
Pone metum, mea Clara, tui mihi maxima cura est,  
Nec mihi cura minor,  
Post te, tuarum virginum.  
Ecce ruunt subito deiecti niœnibus hostes:  
Soluitur obsidio,  
Et vrbs ab hoste libera est.  
At nunc corporeis exsolvi se quoque vinclis  
Provida mater auet  
Perfunctor labotibus,

Vrgente ad medium nono prope funera lustro:  
 Iam meditata polum  
 Desuescit escam sedecim.  
**C**ontinuos iejuna dies. superadditur vnum,  
 Qui vehat ad Superos  
 Cælo dicatam virginem;  
**V**t, quæ terrigenis præluxit, clareat astris  
 Lumine perpetuo  
 Iam Clara sole clarior.

## HYMNVS 33.

*In Diuos, Diuasque omnes.*

**H**Aud equidem viuus taceam vos, omnia olympi  
 Lumina, quæ vero lumen de lumine Christo  
 Concipitis, nec maiori vos lumine vinci,  
 Aut obscurari nimio splendore doletis.  
 Quin, ea maiori cum lumine gaudia crescunt,  
 Si lucis Christus celebretur & auctor, & altor  
 Ordine præcipuo, fulget qui luce suprema  
 Lux lucis veltræ purissima, luminis & dux:  
 Ordine si genetrix recinatur & illa secundo  
 Vnica sponsa Patris, sacri spiramine flatus  
 Facta parens, intacta parens, intactaque Virgo,  
 Virginei saluo constanter honore pudoris,  
 Filius vt Phœbi radiantis imagine, lumen  
 Pallenti Lunæ communicet: Illa decore  
 Vos inter rutilos formosior emicet ignes.

*Apostoli.*   Ætherei, saluete, chori, miserisque fauete,  
 In primis, duodena cohors, celeberrima turba,  
 Fida cohors, almi quæ feruida flaminis haustu  
 Viuificis latè replestis vocibus orbem,  
 Quæ globus hic terræ sit vestigabilis vlli.  
 Quas Christo, vobisq; agimus, pro munere grates  
 Accipite, & si vos tangit non parua quietos  
 Cura rei humanæ, instantes auertite casus,

Et precibus

Et precibus, sacri prohibete pericula Verbi,  
 Quod variè tortum dissectis tunnit in ore,  
 Nunc quum vaniloquis rumpuntur pulpita dictis.

Et vos, purpureo flammaates sanguinis ostro,  
 Qui semel effuso pro vobis sponte cruori  
 Plaudit, admensi Christo vitam, atque cruentem  
 Intrepidi testes, spredo qui diuite censu  
 Perpetuas quæsistis opes, cælestia regna,  
 Per laqueos, flamas, gladios, per laxa, per vndas,  
 Carnificum vario euictis certamine penitus.

Inclita mors, fortis, mors terque, quaterq; beata est,  
 Debita naturæ, potiori reddita Christo.  
 Exemplo liceat vestro, discrimina rerum  
 Æqua mente pati, fluxæque incommoda vitæ,  
 Impositam perferre crucem, perferre labores,  
 Fortiæque oblatæ contradere peccora morti,  
 Seu vi intentata, morbis, seniore petamur.

Vos quoque, quos niueo scimus candore nitentes *Virgines.*  
 Angelicas hilatare acies, mentesque beatas,  
 Candardis comites Agni, quocunque feratur:  
 Si nos obsceno vitiorum gurgite mersos  
 Virginæ exundans in sanguine lauerit Agnus,  
 Virginæ nil vos candor, nil iste verabit,  
 Quas Caro, quas Mundus, fallacior hostis vterque  
 Affricat incautis, precibus detergere sordes. (virtus)

Quid memorem innumeros, quos vexit ad æthera  
 Atque animosa fides, placidæque in sede locauit  
 Securos Satanæ, meliori sorte beatos,  
 Adsimilesque Deo, quem fas in luce tueri?

Credibile est, luce in tanta, pernoscere casus  
 Humanos: fraterhus amor misericordie cogit  
 Nunc deflagrantes ardentius. An pigeat vos,  
 Quæ licet, afflictis fratrum succurrere rebus,  
 Quos fratri, Patrique deo curæ esse videtis?

Tantum verò id abest, vt sollicitudine nostri,  
 Aut mage perfecto, quo nunc feruetis, amore,  
 Gaudia momento vobis fœlicia cessent,

*Marty-  
res.*

Aut mi-

Aut minuatur honos, minimo aut sit turbidior pax;  
 Quum sit honos, sit amor, sit eidem cura Parenti,  
 Pax eadem, nullo in se se turbanda tumultu,  
 Cuncta Deo, & vobis communia cuncta, parenti.

## H Y M N V S 34.

*I N D. C A T H A R I N A M S E N E N S E M.*  
*superiore saeculo in Diuos relatam.*

**T**V, quæ nostra manu contingere sæcula possis,  
 (Contingis immò proximè)  
 Pectore sincero testabere, & ordine vitæ,  
 Effœta nondum tempora  
 Vsqueadè, rutilans per te quia plaudat olympus  
 Numero auctiore cælitum.  
 Proin cape postremum, à nobis (nec despice) carmen,  
 Quod vena sicca suggerit.  
 Nil mala te lædunt olidi contagia fæcli,  
 Nil ordo rerum turbidus.  
 Non te luxus agit, nec amor sceleratus habendi,  
 Pellacis & carnis dolus  
 Exiguæ in cellæ latebris, in paupere amiœtu,  
 Quod circiter sexennium  
 In squalente cauo tentaras paruula:at illinc  
 Domum reduxit angelus  
 Abductam, roseum quæ virginitatis honorem  
 Christo dicaret optimo  
 Septenni non maior: ibi pia vota probauit  
 Natus Parentis maximi  
 Spectatus teneræ sublimi in sède puellæ:  
 Quanquam nec id visum satis,  
 Intima ni superi referans mysteria cæli  
 Communicet virgunculæ.  
 Quid mirum, sapiat si nil terrestre palato,  
 Nil potionis, aut cibi  
 Illecebra arridens, nil fumus inanis honorum,

Aut

Aut fluxa mundi gaudia,  
 Assuetæ cæli studiis, Spiraminis almi  
 Commerciis & dulcibus?  
 Desine mirari, si vita legumine parco,  
 Aut pulce rara ducitur,  
 Ludificata fames ternis cui mensibus exit  
 Alimonias omnis insciæ.  
 Nam sat habet virgo satiari corpore Iesu,  
 Et recreari sanguine  
 Dissimulans cilicum solito sub tegmine telam  
 Instanter appressam cuti,  
 Funibus interea castigans membra rerortis  
 (Ne moliantur prælia  
 Spiritui) quidquid capite excrucietur, anhelis  
 Exæstuet vel febribus.  
 Vel nullus, vel conditus sale sermo fluebat  
 Labelulis iuuenculæ,  
 Quo querulos placide solctur, leniat aspros,  
 Rudes magistra dedolet  
 Verbi potens: sapere, & fari largitor ab alto  
 Dat ingenii, & mentis Deus.  
 Res dat præfaga prædicere mente futuras,  
 Abstrusa multa & prodere.  
 Inuidus hanc dæmon non vno marte laceffit;  
 Victus recedit turpirer.  
 Diffugunt pulsæ miserorum corpore febres,  
 Morbiq[ue] passim plurimi.  
 Talibus officiis finem mors vna beatam  
 Dei potentis attulit  
 Imperio, qui sex lustris certamina clausit  
 Raptæ sub astra Virgini.  
 O vtinam similes hæc posteræ germinet ætas,  
 Quæ rem labantem fulciant!  
 Tum noua prouenient mihi carmina, Reditor olympi  
 Si fila vitæ proroget.

Anno,

Auctor, Ad Deum Opt. Max.

**S**Vmme Deus, regnas qui numine trinus in vno,  
Exoluens cæli culmine pacta piis;  
**Q**uæ tibi, quæ Diuis, in limine canto senectæ,  
Quæ sum pollicitus vix benè puber, habe.  
Quod queo, do: venias si merces vna canenti,  
Tum modulanda alijs des meliora, Deus.

*Ad Dinos, Dinæque omnes.*

**E**Xegi monumenta pij suscepta laboris  
Confirmante manus, corqué mouente Deo.  
Nunc agendum fracti soluantur corporis artus:  
Mors oculis veniat vita subinde meis.  
Fas mihi tot pugnas, fas sit cecinisse triumphos,  
Parrâque pugnaci regna beata manu:  
Intendisse animum cælis, in parte nec vna  
Mercedis: nec enim muneris exigui est.  
**O** Diui, Diuæque omnes, ô Sponsa Tonantis,  
O genitrix, Nati maxima cura tui,  
Adjicite hoc precium vati, tractoque per auras  
Inter vos humilem, cedite, quæso, locum.

*Ad Eosdem.*

**Q**Visquis eris, toto non dictus de grege diuûm,  
Quem musæ tacitum præteriere meæ:  
Quisquis eris, rectè non dictus in ordine diuûm,  
Culpa cui laudes deterit ingenij:  
Parcite, diuersis, vos oro, parcite caussis:  
Latius haud volui, nec melius merui.  
**L**ux erit (vt spondent properantia sœcula) in vno  
Qua dabitur cunctos concinuisse Deo.

SPICI-

## SPICILEGIUM

# SACRVM PRIMVM, SIVE EICONES IN VETVS TESTAMENTVM.

## DEVS CREAT OMNIA.



Xsors principij superū Rex, finis & exsors,  
Principia æterno largitur Numine rebus.

**ADAM ET EVA DELVSI  
A SERPENTE.**

Insidiosa virum mulier capit, Anguis  
vtrumque:  
Ludus abit longos, nisi deuitetur, in annos.

H E N O C H V S.

Corruptos stygio reparantem à principe cultus  
Rerum opifex terris ostendit, & addit olymbo.

N O A C H V - S.

Prisci reliquæ, sæcli auctor posterioris  
Ligno homines seruat, ligno quos seruat Iesus.

A B R A H A M V S.

Cessisse est patria durum, res grata Tonanti:  
Durius est nullo sperare ex semine semén.

M E L C H I S E D E C V S.

Non tibi principium, non finis, vtroque parente  
Ignoto: sacra fers: typuses (nec fallor) Iesu.

I S A A C V S.

Quam propè sic iusso cadis, Isace, victima patri,  
Tam verè æthereo te mactas, Christe, parenti.

I A C O B V S.

Fraus tua deludit, perfert patientia fratrem:  
Multa tibi proles sperare docetur Iesum.

X y

IV-

## IVDAS IAC. FILIVS.

Nascere, magne puer, tibi regia sceptr'a parantur:  
Ex te iudic'us nobis orietur Iesu's.

## I O S E P H V S.

Patris amor, fratrib' inuidia, præstantia formæ,  
Vestis honos, quadrant, irrla & somnia Christo.

## M O S E S.

Mitis es, vt mitem designes pectore Christum:  
Tu, Moses, populo; Tu Mosi, Christe, magister.

## I O S V E.

Fortis es, & victor populorum, notus in vmbbris,  
Vt luce in media per te clarescat Iesu's.

## I E T R O.

Relligione viri insignes, meritisque, monentur  
Non monitus, non consilium contemnere sanum.

## A A R O N.

Eloquio, cultu, rituque præire sacerorum  
Te decet vmbrosa talem sub imagine, Christo.

## P H I N E E S.

Si scelus in rebus sit conniuere nefandis,  
Instigante Deo laudabilis vltio, & ardor.

## C A L E B V S.

Auspice tuta Deo, cui scit confidere, temnit  
Hostes innumeros Caleb'i interrita virtus.

## I O B V S.

Vir bonus aduersæ tolerat dispendia vitæ:  
Omnia qui vincit, se vincere discat & ipsum.

## R A A B.

Radicii inferitur sanctæ meretricula, quidnisi  
Fulta fide, Christum in seros missura nepotes.

## D E B O R A.

Debora consilio, incertum, plus possit, an armis:  
Numen in infirmo facit hæc pugnantia sexu.

## IAE LA.

## IAE LA.

Ne sit rara nimis muliebri in pectore virtus,  
Occupat haud minimos Iæla prioris honores.

## G E D E O N.

Rure vocat bellum ad sociale minister olympi:  
Vir præit agminibus, sternit dux præius hostes.

## I E P H T H E.

Inconsultæ fides non tota probatur in isto:  
Quod pius excuset, prudens, quod vitet, habebit.

## S A M S O N.

Inuitus, sapiens, prodente ligatus amica,  
Præfert, & melius, quæsito funere, Christum.

## N O E M I.

Orba viro, cultumque Dei, patriamque reuictis  
Aspera fert non lusa fide mulier pia, non spe.

## R V T H.

Diis patriæ spretis, numen sectatur Hebrai  
Rutha Dei, fœlix Dauide futura nepote.

## H A N N A.

Te sterilem Deus exercet, te prole parentem  
Efficit, ô sanctas inter sanctissima matres.

## E L I.

Sacrifici mores nemo reprendit, at illum,  
Et geminos perdit blanda indulgentia natos.

## S A M V E L V S.

Necdum sancta patens natum te destinat ædi,  
Grate vir Isacidis, superum gratissime Regi.

## I O N A T H A S.

Carmine si Dauid te nobilitauit amicus,  
Ad consummatæ quid deest encomialaudis?

## D A V I D.

Marte potens, pietate pati, cantique suauis  
Lapsus es: at melior quis flenda in criminis? Nemo  
Y 2 SOLO-

Si meta auspiciis respondeat ultima primis,  
Quis maior, Solomon? quis te felicior alter?

A Z A.

Regum exemplar eras, Aza; sed quur tibi sic spes  
Post cadit in bellis? quur vista dolore podagræ?

H E L I A S.

Zona tibi, pellis; vestis, pilus, ignea mens est:  
Vectus abis itidem currū flammante per auras.

M I C H E A S.

Fonte quadringentos Vates reprehendis ahena  
Veriloquus: non vis, pedicæ, aut mors ipsa timori est.

A Z A R I A S.

Tu bona verba bono fers, Vates inclite, regi:  
Vester erit Dominus, si sitis & illius ipsi.

S A R E P H T H A N A V I D V A.

Ethnica, re tenui, vidua est, & iura tuetur  
Hospitii; haud frustræ rediuiua prole beatur.

Z O S A P H A T V S.

Relligionis amans, iuris sectator & æqui,  
Et monitus vatum fert Rex, & iussa piorum.

H E L I Z Æ V S.

Nil de laude tua fat dixero, maxime Vates:  
Quantus es, vt viuis miracula mortuus edas?

Z A C H A R I A S.

Sancte pater, litem dubiam facis, an vanis dijs,  
Anne cruento tuo populus mage polluat ædem.

E Z E C H I A S.

Recta sequi Ezechia condiscite rege magistro,  
Fortè simul lapsi resipisci cete pergit, Reges.

I O S I A S.

Et quis vituperet te, laudatissime princeps,  
Tristis Ieremias si te, & tua funera deflet?

H V L -

Excidium Solymis cantas animosa, nefandos  
Audax, excidii causam, prædicere cultus.

Z O R O B A B E L.

Quanta est maiestas reparati, & gloria templi,  
Tanta instaurantis pietas, & gloria regis.

E S D R A S.

Sacrifici sapere est, constanti peccore fari:  
Funiculus triplex, superadqita vita duobus.

N E H E M I A S.

Tu tibi communes Esdræ partiris honores:  
Ille ædi inuigilat Solymæ, tu sedulus vrbi.

E S T E R A.

Orphana, & extorris, forma pulcherrima, regi  
Nupta, tuo populum seruas à morte, periclo.

M A R D O C H Æ V S.

Te culpassee, pudor, libertas perdita non est  
Extorti, nec amor fratrum, nec Numinis alti.

T O B I A S.

Non patria, exilium te non à Numine vero  
Auertit, non pauperies, non lumen ademtum.

I V D I T H A.

Armata est ferro, mulier, tibi dextra, resecta  
Vertice læua; tuos seruas sic Numine dextro.

S V S A N N A.

Tanta pudicitia, casti laus tanta timoris,  
Quanta libido senum, puero retegente, duorum.

M A T H A T H I A S.

Sacra extrema pati viuus, dux summe, nequisti,  
Nec moriens, facra inculcas qui prælia natis.

I V D A S M A C H A B Æ V S.

Maior patre venis, animose ô ductor Iuda.  
Quid moror? haud libri capiunt tua fortia facta.

F R A -

S P I C I L E G I V M  
F R A T R E S C A E T E R I .

Fratribus in reliquis, monitu stimulante piorum,  
Floret auitus honos, duris exercita virtus.

## E L E A Z A R V S S E N E X .

Viuere adhuc poteras, gustata carne suilla;  
Ne te pollueres, mauis occumbere morti.

## M A T E R VII. F I L I O R V M .

Natorum genitrix septem fortissima, natos  
Ausā sequi paribus pœnis, quos misit olympos.

E S A I A S .

Eloquium ingenio, clarum genus addis vtrique:  
At tribus his maior, præco sis clarus Iesu.

## I E R E M I A S .

Quos tibi dat versu lacrimari præscia virtus,  
Hæc dat in exilium abrepto perferre dolores.

## D A N I E L .

Mira alij vario cantent ænigmate Vates:  
Tu numera Christo venienti sœcula, & annos.

## P R O P H E T Æ O M N E S .

Nil vos, ætherei præter Genitoris amorem,  
Concinitis, nil lex, vnum quoque præter Iesum.

## S P I C I L E G I V M A L T E R U M , S I U E

Eicones in Nouum Testamentum, de salute per  
Christum Iesum restituta mortalibus.

*Elisabeth granida præter natura leges.*

F Ert vterum coniux obmutescente marito:  
Ventre edetur Anus, dígito qui monstrat Iesum.

A N N V N C I A T V R C H R I S T V S H V M A N O  
corpo vestiendus in integrissima Virginis corpore.

Quem spondet Dominus, quæ præcinnuere prophetæ,  
Virginæ Gabriel formandum sanguine cantat.

C O N -

## S E C V N D V M .

C O N S A L U T A T I O M U T U A V I R G I N I S ,  
¶ Elizabethæ.

Ventre latens cæco, genitricis ventre latentem  
Zachariæ Christus mouet in noua gaudia natum.

*Nascitur Joannes Baptista.*

Natus Ioannes leuat alui pondere matrem  
Effœtam, & patriæ soluit retinacula linguæ.

A N G E L U S I O S E P H O N V N T I A T  
sacrum Virginis conceptum.

Angelus ætherea demissus ab arce, tumenti  
Securum iubet esse vitum de Virginis aluo.

*Nascitur Christus ex Virginè matre.*

Natus homo in terris sine patre in tempore, matri ei  
In cœlis genitus, sine matre, & tempore Patri.

*Christus innatisit à pastoribus.*

Par est, innocuos pastorem visere Regem  
Innocuum, pecori vitam qui morte rependet.

*Circumciditur.*

Victima cedevetus, vacua minus vtilis vmbra,  
Nempe salutifero nunc manat flumine sanguis.

*Tribus à Magis adoratur.*

Thure Deum, Regemque auro, myrrhaque salutant  
Mortalem lacrima, posito diademeate, Reges adorant.

*Offertur in templo.*

Quo nil purius est vsquam, nil, quo sine, purum est,  
Lustrari patitur: pudeat sordescere cunctos.  
*Agnosci-*

**AGNOSCITVR ET PRAEDICATVR A**  
Simeone, & Anna prophetissa.

Laude vehit puerum mox defectura Senis vox:  
Laude pari fulcit non dispar fœmina laudem.

*Asportatur fugia in Egyptum.*

Quur fugit Omnipotens? Deus est in corpore vero.  
Quur fugit ad Pharios? Ut donet lumine gentes.

*Infanticidium Herodianum.*

Impie, quid mortem intentas infantibus? Vni  
Ut vitam eripias, quam mox sit sponte daturus?

*Docet Christus duodennis.*

Doctores docet, haud senis bis grandior annis,  
Quo sine, te frustret ventosa scientia rerum.

*Baptizatur à Ioanne.*

Baptistæ manibus tincto vox clara Parentis  
Adsonat, æthereis & Spiritus aduolat oris.

*Ieiunat.*

Bella gulæ indicunt Christi ieiunia: quurnam?  
Sarcit ieiunans, quod peccat Adamus edendo.

*Mutat aquam in vinum.*

Coniugium, matrem, cognatos Christus honorans  
Deficiente mero, laticis suggessit honorem.

*Mercimonia ejicit è templo.*

Silucrum, aut aliquid pecuinum irrepas in ædem,  
Irâ Christi animus, dextra est armata flagello.

*Trans-*

*Transfiguratur.*

Veste niuem, vultus & solem fulgure mirum est  
Æquiparare, nigras qui dispulit orbe tenebras.

*In idem.*

Quam benè conueniunt, Christoq; morantur in uno  
Lex vetus, & vates, & posthumata turba piorum?

*Resuscitat Lazarum.*

Luminis & vitæ, mortali in carne, Creator  
Lumine te dulci, te vita, Lazare, donat.

**P E R F V N D I T V R V N G V E N T O A**  
*Maria, in cœna Bethaniæ.*

Cœnæ adhibet Mariam, nec dedignatur Iesus  
Vnstricem: Sperate rei, resipiscite fontes.

*Ingreditur Hierosolymam sedens in asno.*

Imperia imperiis mutantem, tegnaque regnis  
Pando asinus tergo Solymorum veclat in vibem.

*Arefacit sicum sterilem.*

Arboreos sterili qui damnat in arbore fœtus,  
Quam sceleris plenum, & virtutis plectet inanem?

*Ejicit iterum vendentes & ementes è templo.*

Ira Dei facinus repetitum est vta secundò,  
Præfractos quæ poena manet iam tertia? num mors?

*Pacifcitur Iudas cum Judeis.*

Numi sacra famæ quid non mortalia cogis  
Pectora, quæ prodistam fœde, & perdis Iesum?

*QVI LOTVS EST, NOX INDIGET  
nisi vt pedes lauet, sed cft mundus totus.*

*Lotio terrigenis hæc optima, si pede loto,  
Pectori si puro ferimur per munia vitæ.*

*Iesus Agni Paschalis, & Eucharistia.*

*Absunto veteri, maclandus verior agnus  
In potum socijs se dispertitur, & escam.*

*Ter orans Christus exsudat sanguine.*

*Non animo tantum, vel vtrouis lumine Christus  
Terrigenum culpas, toto sed corpore deflet.*

*Dedit se vltro captiuum.*

*Hosti auido dat se capiendum mitis Iesus,  
Datque manus vinclis, mundi qui flectit habenas.*

*Judicatur, & illuditur in ædibus Caipha.*

*Solem qui radijs accendit, & omnia lustrat,  
Præbet Pontifici, velatus tempora, ludos.*

*Ter Petrus negat Dominum.*

*Petre, tibi incussit muliebris lingua timorem:  
Qui jugulum gladio, fidens paulò antè, dedisse?*

*Christus fistitur coram Pilato, & rursum Herode.*

*Romuleo summus stat coram iudice Iudeo:  
Ridet Idumæus, quem suspicit arduus æther.*

*Proditor se laqueo præfocat.*

*Haud laqueum effugiet, tristi qui doctus Iudeo  
Exemplo, haud dubitet numis diuendere Christum.*

*Flagellis ceditur, & corona spinea redimitur.*

*Heu loris dat terga Deus, dat tempora dumis  
Regum Rex; En primigenæ quæ præmia noxæ.*

*Otentatur Iudeus.*

*Mulieratum miserè trahit in spectacula prætor,  
Abluit & duplices, illoto pectori, palmas.*

*Dammatur morte.*

*Heu, reus est Latio sub præside cælicolum Rex:  
Sontis & innocuum sententia funere mulierat.*

*Ducitur ad Crucem.*

*Ad iuga funesti procedit montis; anhelo  
Crux imposta, premit laceros crudeliter artus.*

*Flere vetat comitatum muliebrem.*

*Quæ mala præfractam maneant iam proxima gentem  
Præmonet hic, dictosque suo de nomine Christus.*

*Suffixus est in crucem.*

*Cernite distentum, Iudei; cernite gentes,  
Vt vos nexilibus diuisos colligat vlnis.*

*Adest pendenti Magdalena.*

*Quæ fuerat vitæ, comes est, sub stipite, mortis,  
Nempè, virago feret rediuiui gaudia prima.*

*Valedicit Iesus discipulo & matri.*

*Et meminit matris moriens, & Christus amici:  
Matrem Discipulo, matri commendat amicum.*

*Exhalat animam.*

*Sub sua iura vocat vitæ mors atra parentem,  
Sed mortis stimulos demorsi in morte relinquit.*

*Aperitur lancea mortui latus.*

Sanguinis haud satis est haustum , ne forte piando  
Villa homini , gelido sub pectora gutta filescat.

*Sepelitur.*

Demissum trabe funerea , post fata , sepulcrum  
Accipit , immensus quem non complectitur orbis.

*Descendit ad Inferos.*

Perfundit sedes Erebi , noctemque profundam  
Luce noua,furuisque pios educit ab antris.

*Resurgit die à mortuis tertio.*

Tertia lux, Mundi domitorem, Mortis, Auerni,  
Miratur liquidas rediuvium surgere ad auras.

*Apparet Magdalena.*

Visa Dei species olitoris imagine, certam  
Monstrat abesse fidem : mox vera effulget imago.

*Magdalena nuntiat visum sibi Iesum.*

Prima viros inter, Christum quæ viuere credit  
Fœmina,doctores orbis docet ipsa futuros.

*Ascendit Christus ad celum.*

Ascensu supra alta petit Regnator olympi :  
Primus sternit iter cælo , mortalibus ægris.

*Mittit promissum Spiritum.*

Spiritus signata lapsus sub imagine formæ  
Exacuit linguas, succedit pectora amore.

*Sedet Index omnium.*

Spes iustis, tremor iniustis,nam luce suprema  
Quæsitor vocat ad poenas, aut premia quemque.

HEXA-



Ælitus illud habes, Christum quod, Petre,  
professus,  
Fundamēta locas, vllis haud viribus orci,  
Aut ætate, ruenda loco; turpemq; ruinam  
Egregiè sarcis, & vita, & dogmate, morte,  
Inverso capite in terram cælestia spectans,  
Effingensque, polo quem viuere credis, Iesum.

A N D R E A S.

Petrus, & Andreas, concordi fœdere fratres  
Linea texta lacu, Christo mandante, relinquunt.  
Hos comites legit Seruator ut ordine primo,  
Suppicio sic pænè pares, crucis egit in altum  
Exiguo voti discrimine : vix cruce dignum  
Seputat ille; crucem supplex amplectitur alter.

I O A N N E S.

Q Vid sit amor, melius te nemo dicat : Iesum  
Et tenerè germanus amas, & amaris Iesu.  
Quos tibi sopito postremæ tempore cœnæ  
Diuinum placidos non instillavit amores ?  
Tu, comitum fugiente choro, constanter adhæres  
Pendantib; inde tibi matrem dat, te quoque matri.

I A C O B V S D I C T V S M A I O R.

P Luris Ioanni est fratri , tibi pluris Iesus  
Est patre , & æquoreis , in victus commoda, lym-  
Fulmineæ vocis titulos cum fratre reportans,  
Frangis Iudæos, Samaritas, frangis Iberos.  
Herodis gladio vidit Iudæa cadentem.  
In tumulo retinet te Compostella quietum.

Zz 3

B A R

## BARPTOLEMÆVS.

**T**Este Deo, fucum, Natanaël optime, nescis,  
Et gente Isacidūm, & titulo dignissime gentis.  
Audijt, adquæ tuas submisit culmina voces  
Taurus, Memnonijs suspexit & Indus ab vndis.  
Armenii montes detracta pelle cruentum,  
Rursus & impacta cæsum luxere securi.

## PHILIPPVS.

**B**arpto- **C**uius es Andreæ, & Petri: tua ducere Christo  
lomaum. **L**aus est progenitum Ptolemæi sanguine: panem  
scz, qui & Exquiris populo Christum per rura sequenti.  
**N**ata- **F**ortius at Scythicas mollire est dogmate gentes.  
**næl.** **P**hryx cruce sublimem faxorum grandine maectat:  
Nempe, tuos ciues, & sic imitaris Iesum.

## THOMAS.

**N**on nisi vulneribus visis, & credere tactis  
Collibuit, quur? Testis eas ut certior orbi.  
**P**arthus. Ergò fidem tibi Parthus habet, Medusque, feróxque  
**M**edus. Hircanus, tollens oculos & Brachmana cælo.  
**H**ircanus Missilibus telis vrbs te Calaminia figit:  
**B**rachma- na. Vulnera vulneribus decet ista rependere tactis.  
**C**alami-  
**n**ia.

## MATHÆVS.

**S**Vccina si stipulas, si naphtha & prolicit ignes,  
Denique si ferrum magnes, quur non trahat & te  
Ille salutari radians in imagine vultus  
Fulgor, ad æternæ documenta ferenda salutis?  
**A**gnus. Ibis ad Æthiopas, Agni quos vellere testos  
Exornes, Christi sub eis casurus ad aram.

**J**ACOBVS ALPHÆI MINOR, QVI ET  
DICTVS EST IVSTVS, ET FRATER  
DOMINI.

**I**ntegritas vita fecit tibi nomina Iusti,  
Atque eadēm Solymæ primatum traxit vrbis

Judicio

Judicio Cephæ, & comitum. videre decembres  
Ter deni meritis insignem, & fortibus ausis  
Visqueadeò, vt fassus templi de culmine Christum  
Nil metuas mortem, & præceps immane ruinæ.

**I**VDAS IACOBI MINORIS FRATER, Q VI  
ET LEBBÆVS ET THADDÆVS.

**Q** Vis, quantus fueris, sat monstrat epistola nobis  
Vnica, perterrens tam poena vrgente nocentes,  
Quam spe animat sancto pietatis amore calentes.  
Non alio dixisse modo te flumina bina  
Tigris, & Euphrates, Pontus cum Perside, clamant,  
Clamat inexhausti mors inclita, meta laboris.

**S**IMON CANANÆVS. j. ZELOTES,  
Q VI ET SIMEON.

**E**T te Cana tulit, factis, & nomine Simon  
Feruide: tu Iusto, tu fratre & dignus Iuda  
Sancte senex, senij extremi non frigore feruor  
Intepuit: nam pontificem crux alta secundum  
Sublimem Solymis dedit, inuidiazque furori,  
Cui genus obijciat Davidis, præter Iesum.

## MATHIAS.

**D**Iuina te sorte datum sacer ordo recepit  
Complendus doctore nouo: nil non tibi debet  
Gens Macedūm, non Æthiopes, Iudæa vel ipsa,  
Cuius & expertum iactat te fama securim  
Post lapidum nimbos: quamuis contraria malit  
Fama per Æthiopum, post fatalia, quiescere campos.

## PAVLVS.

**D**iscipuli tremuere lupum, te Paule: lupinam  
Edomuit rabiem vox Christi audita per auras.  
Quur tua, post, Petri commissa est dextera dextra?  
Ut, quos vita duos iungit, mors iungat amantes.

Te ma-

## HEXASTICHA

Temare, te tellus, stupuit miranda profantem:  
Te Nero detruncat, te luget Roma cadentem.

## STEPHANVS.

Martyris eloquio, & visis Synagoga profundis,  
Saxa, necesse ingrata refert. Athleta crux  
Funeribusque Dei reddit cum sanguine funus,  
Vulneribus terga obuertens, & lumina caelo.  
Fraudatur Stephano nascens Ecclesia; at illi  
Exorat Stephanilucrosa precatio Paulum.

## BARNABAS.

V grauis intuitu, tu majestate verenda  
Addituses Paulo comes: Antiochia magistris  
Christiadas primos vobis fœliciter edit.  
Inde alio binos, alioque subintulit ardor  
Seminis æterni præcones; at tibi Cyprus  
Quæ dederat cunas, dat trux & mater olympum.

## MARCUS.

Grande operæ pretium, Cepha didicisse magistro,  
Quæ brevibus stimulent ad olympica præmia ver-  
Maius, Alexandri scripta euulgare per urbem, (bis.  
Et monitis pastos, exemplo paucere vitæ.  
Vrbs, quæ te primo doctore est vsa salutis,  
Hæc efflantem animam, protractum congemit vncio.

## LVCAS.

Corpora fessa leuas medica clarissimus arte;  
Posterior, potiorque animis est cura mederi,  
Paulo Euangelium comiti dictante salutis.  
Vita tibi cælebs, longæaque tempora vitæ.  
Donæc Paulinos recinent pia scripta sabores,  
Gloria scriptoris toto simul orbe manebit.

## TIMO-

## TIMOTHEVS.

Exemplar iuuenis iuueni, cultorque senectæ,  
Dux viduis, custos pupillo, luxque puellis,  
Gloria doctoris Pauli, malitiaque Dianæ:  
Nil crudi pondus stomachi, & dolor vsque recurrens  
Deicxit inuictos animos, roburque virile:  
Saxa necant, yetitos cohantem auertere cultus.

## TIPVS.

Vnere fungatur si quis sine crimine præsul,  
Promus & ætherei, condusq; in tempore verbi,  
Ne Bacchi sit mancipium, Venerisue, nec iræ  
Indulgens, non lucro inhians, rixisue proteruis:  
Sed veri validus præco, rigidusque satelles.  
Talem te coluit viuum, te Creta sepultum.

## IGNATIVS.

Gneus interno flagrans Ignatius æstu,  
Nil pensi, nil consilij, dum propter Iesum  
Emoriatur, habet: flaminas, clausque trabaleis  
Flagitat, & rapidos, celeranda in fata, leones.  
Rugitus erumpentum nil territus audir:  
En, inquit, subigar panis iam nudus Iesu.

## POLYCARPV.

Gnosco crines Polycarpi, incanaque menta,  
Cælituum quem Rex in tempora dura reseruat,  
Immotamque fidem, nil bellua dente minaci  
Territat inuictum pugilem, nil flamma rogalis,  
Fornicis in morem, vento sinuante, retorta.  
Confoditur gladio, quem vix tetigere fauillæ.

## LAVRENTIVS.

Non tibi vulgaris debetur laurea, Xystum  
Pontificem, simul vt Christo sociere, sequenti.  
Non tibi diuitiae, non vana cupido retardat

Aaa

Astra

*Hæc ex  
Epistola  
ad eundem  
Titum.*

Astra petiturum, nec inanis gaudia vitæ.  
Sed quid suppositæ rides incendia prunæ?  
Vis tibi maior erat, tua spes, tuus ignis Iesus.

## VINCENTIUS.

**V**Incis barbariem minitantis dira tyranni:  
Frustra verberibus, frustra vnguis ista secantur  
Terga, subinductæ flammantis & aggere prunæ:  
Non magè proficitur crudeli pectine, lasso  
Carnifici, stas inuictus, ceu saxeæ rupes.  
*Apocal.* Quur? Animos fulcit vincenti manna reposum.

## BASILIVS.

**D**IUO cuncta inerant dignissima nomine regis:  
Dicitio, more ruens torrentis ab imbris audi:  
Mens, uno contenta Deo, putissima labis,  
Atque animus contemtor opum, luxusque supini.  
Corpus humo liquit vix hærens pellibus, ut qui  
Lucis inops damnet, vix dignum & verme cadauer.

## CHRYSOSTOMVS.

**T**V studio dignus Basili, tu fœdere sancto.  
Dulcis amicitiae, sanxit quam dulcis Iesus.  
Par laus, par virtus viriusque, attrita nitescit  
Marcida nec carie, longo nec labilis ævo.  
Triste fuit quondam diuelli viriusque, superna  
Iam videt aula pari connexos fœdere ciues.

## NAZIANZENVS.

**A**Cta canis Basili, non illaudatus, amici.  
Scriptor honoratus versu, scriptisque solutis;  
Cæsaris vrbs indigna fuit te præfule, vel tu.  
Osor dissidijs es, tempèstatisque subortæ.  
Quamuis sub senium abscedas in glorius vrbe.  
Partus honos, tibi parta quies mansura per æuum.

HIE.

## HIERONYMVS.

**R**Oma docet puerum, & Christi circundat amictus.  
Perlustata viros ostendit Gallia doctos.  
Nocturna versare manu, versare diurna  
Dulce fuit libros, bis culta & dulcis eremus  
Iam vitæ saturo, non, fessa ætate, laboris.  
Terræ dedit tumulum, quæ dat cunabula Christo.

## AMBROSIVS.

**M**Ellilegas volvtes tibi mel fixisse iacenti  
In cunis, nihil absurdum est, cui nectar adulto,  
Ambrosiæ sapit scripto vox consona leni:  
Attamen iniecto Cæsar tua spicula sentit  
Fixus aculeolo: tu solers ipse mederi  
Vulneribus factis, fomenta salubria præbes.

## AVGVSTINVS.

**Q**Vid lacrimæ, quid non materna precatio iugis  
Possit, & Ambrosij dulcis facundia? quantis:  
Tu lactimis care constas, precibusque parenti,  
Tanto confiterit tibi secta fuganda labore.  
Quid non multiplici libro, non ore profaris?  
Huic cedit Latium doctori, Græcia cedit.

## NICOLAVS.

**V**irtute, officijs, & religione pudica  
Déuicti populi tibi dat victoria nomen.  
Præfulsis hoc ad opus magni est præludere, furtim  
Stupra puellarum adiectis præuertere nutris.  
Non te sola pius miretur Myra parentem:  
Si te primus amat, te suscipit & ultimus orbis.

## CYPRIANVS.

**S**pretor opum, & luxus, Cypria que libidinis expers,  
Pectore Apostolico præfus, liberrimus ore,  
Dum flectas alacer colla incidenda securi,

Aaa 2

Grandia

Grandia facunda spiras, & fortia lingua.

Lilia purpureo debentur verna pudori,

Purpureæque rôsæ, suscepta morte, cruo*ri*.

## ATHANASIUS.

**A** Ceres & Veri assertor, sectæque flagellum,  
Proudus in longis pastor, dexteræque periclis.  
Namque quater denos Ecclesia te videt annos  
Certantem, siue aduersa sub sorte, latentem.  
Martyrium si vita facit satiata labore,  
Sit victoriferi tibi palma gerenda triumphi.

## PAVLVS EREMITA.

**I**Vdicibus multis, placidæ tu cultor eremi  
Primus, & insani studia in vanissima vulgi  
Hostis es, affixus mentem cælestibus hymnis.  
Dat tectum spelunca, sicut tibi sedat aquæ fons:  
Cælitus allato dat palma opsonia pani,  
Aligerum superas dûm te auferat agmen in oras.

## ANTONIVS.

**N**Æ tua, sancte pater, virtus est maxima, cui tot  
Inuideant stygii prœceres, monstra horrida cui tot  
Illudant, variis cieant & prælia rixis,  
Si sic bella geris Superæ communia turmæ,  
Hostilemque fugas Antoni domine turbam,  
Quos tibi non Superi dant plausus astra petentis.

## HILARIO-N.

**E**T te cellæ capax hominis, te vidit eremus,  
Et plusquam sexagenit stipuere decembris  
Ducentem innocuæ tranquilla silentia vita.  
Terra dedit iuncō vili constrata cubile,  
Quindenæ caricas vesper cuiusque dñe,  
Quam prope cælitum vixisti ad corpore vitam?

EPHRÆM

## EPHRÆM SYRVS.

**I**Ydicio Basili, adnumerat qui præsul Ephræmum  
Presbyteris, stamus, cultores inter eremiti  
Doctrina, ingenio, nulli & pietate secundum:  
Nosque licet seros in ferrea secula nepotes  
Postuma scripta docent, non absque superstite fama,  
Cappadocis puncto, nec laude fuisse minorem.

## MARTINV S.

**E**Meritus mundo vixum bene miles, Iesu  
Dimidium chlamydis promptus largitur egenti:  
Conijcito quæ sint, quæ tale futura sequantur  
Principium, concepta Dei si numine dextro,  
Fine coronati non deteriore putaris.  
Quid non communi pro tegmine reddat Iesus?

## HILARIUS.

**O**Rbis Deucalion, latii sis buccina verbī (vnum  
Aurelio, & Rhodahus sacer ille Hieronymus  
Suspiciat, ditio gentis quacunque rogata  
Porrigitur: tu Picto Hilari pia dogmata pande  
Christigenis: procul extorris, seu sede receptus  
Pastor honorifica, funde ardens, confice sectas;

## REMI GIVS.

**L**ustrali magnum est Clodouæum tingere lymphæ,  
Liligeræ qui sceptra gerat florentia gentis.  
Durat adhuc, seruante Deo, durabit in æcum  
Cælitus allapo qui mos est vngere oliuo  
Franciadum reges: Francorum & nomine saluo;  
Francia Remigium nunquam bene grata, filebit.

## VEDASTVS.

**L**AUS tua Remigio est communis, at hęc tua nō est, Circa annum 490.  
Atrebates domuisse seros, & idonea bello  
Pectora dilapsos ad Iesu cogere cultus.

Aaa 3

Hinc

*Aurelius  
Augst.  
Hierony-  
mus.*

Hinc tibi pyramidem, quæ se æmula tollat olympos,  
Ponimus, in cœlum te iure præisse fatentes,  
Quod nos è scelerum detractos fæce vocasti.

## N I C A S I V S.

**A** Ltera, Nicasi, Rhemorum gloria, quur non  
Præcipuos inter memorabile nomen habebis,  
*Entropia.* Germanæ Eutropiæ custos, populi que fidelis?  
Muneris egregii est, & vita, & morte præire  
Pastorem populis, gladio germana cadentem  
Insequitur, populusque patrem, patrisque sororem.

## M A R I A D E I P A R A.

**Q** Vi Mariam dixit, virtutum examina dixit,  
Humani capsam meriti, fideique theatrum.  
Quid Mariam laudare? faces accendere soli.  
Laus hæc Angelicæ propria est, & tota chore eæ.  
Quis inclius laudet, quam nobilitatit Iesu  
Regni parte locans, matrem quam legit in orbe?

## A N N A.

**A** Nna parens, nata lætare, beanda nepote,  
Qui vita miseros, & amara morte beavit.  
Ne luge sterilemque torum, tristesque hymenæos,  
Et te absiste queri genitricem tempore sero:  
Nam tuus ille nepos votis optatus auorum  
Non nisi Seruator redimuit nos tempore sero.

## M A G D A L E N A.

**F** Undis aquas oculis, extergis crine soluto,  
Dira, Dei plantas, atque vnguine spargis odoro:  
Quid nisi contractas tacito sub pectore labes  
Abluis æternum spargisque per æthera nomen?  
Adiucis ad Christum, mulier, prudenter amores:  
Fœnore nam multo locuples redamabit amantem.

MAR-

## M A R T H A.

**D** Iuite tu censu, rediuiuo fratre, sorore,  
Sanguine tu fœlix, fœlicior hospite Christo,  
Sollicitam in multis te querere qui docet vnum.  
Germanæ pars prima tuæ, pars optima cessit,  
Altior & tanto micat inde virago sorore,  
Quanto Martha aliis & se soror altius effert.

## A G N E S.

**E** Vge, quid hoc monstri est? secura est Agna luporū,  
Plagarum vix virgo capax, propè ne scia vitæ,  
Tamque parata neci, tactus quām exosa viriles.  
Flammæ virginem metuunt quur tangere corpus?  
Virginem Christus sibi poscit ab ense cruentem,  
Agnus & ipse Dei post funera dexter it Agnæ.

## A G A T H A.

**B** Landitias scorti victoria ludere prima est:  
Torta diu, tentata fame, diuulsa mamillas  
Forcipe carenti, rursum spectante tyranno,  
Exilit incensis, illæso corpore, flammis.  
Pertulit horrentes atri ter carceris umbras,  
Collustranda nouæ lucis splendore perenni.

## E M E R E N T I A N A.

**E** Tu Agathæ socia es, sugendo in lacte parentis:  
Tu quoque post fidei, licet haud dum fonte renata  
Viuifico, pœnæque comes, mortisque decoræ,  
Audes applausus libertima carpere vulgi.  
Turba fremit, iam saxa volant, cadi obruta, cœlum:  
Fidentem intonuit, proprio te in sanguine lotam.

## A P O L L O N I A.

**F** emineo in sexu, vetulóque potentia ludit:  
Alta Dei: dente effuso cruciata, dolores  
Saucia contemnit: (quis talia crederet ausam?)

Ignis-

Ignis adeſt, infit: manibꝫque elapsa repente  
Carnificum, nil illa animo, aut pede tarda ſenili  
Prouolat in flammam medios arſura perignes.

## CATHERINA.

**V**Ix benē compleſti ſextam trieterida vitæ,  
Moribus, & ſophia excellens, animūmꝫ, fidēmꝫ;  
Teſtatura Deo, commonſtratura tyranno,  
Qui prece, qui pretio, tenebrarum horrore, faméue,  
Ferratisue rotis haud Christi expugnet amicam.  
Tu, da animam Sponſo, colla exſcindenda ſecuri.

## PAVLA.

**N**atales, patriūmꝫ, ſolum contemnere, opum vim,  
Multa pericla maris, nec pauca pericula terræ,  
Ferre famem, tolerare ſitim, morbosque frequentes,  
Arcibus & Romæ præponere Bethleemiuſ rus,  
Hoc muliebre? Tenet iam felicissima olympos,  
Quod propè quæris amans toto cupidissima mundo.

## MONICA.

**C**Aſta parens, & amans nati, iam coniuge rapto,  
Non ſat habes natum mundo genuiſſe, renatum  
Ni videoas, matris vota audit Rector olympi,  
Tradit, & Ambroſio luſtrali rore piandum  
O nimium fœlix! O quantum, Ecclesia, flores  
Aut studio nati, aut matris ditata labore!

## CLOTILDA

## DE

## VITA, ET LAVDIBVS

D. VEDASTI, ATREBATIO-  
RVM PONTIFICIS, PER  
C OM P E N D I V M,

DIALOGVS VIATORIS ET COENOBITAE:  
In gratiam Abbatis Vedastini, & Cœnobitarum  
eiusdem loci, apud Atrebates.

## VIATOR.



Vinam marmoreis apte ſubnixa columnis  
Saxe pyramidis ſe tollit imagine moles?  
Hac ætas meritis donauit priſca Vedasti. Cœno-  
bita.  
Quem Diuum memoras? Aliquantò cla-  
rius effer.

Laude virum insignem, Leuca de stirpe, viator  
Accipe, & eloquio nulli, aut pietate ſecundum,  
Arteſiæ lumen, columénque in ſecula, gentis.

Et quid p̄cipuum, mortali in corpore, geffit?  
Saltem aliquid toto decerpe ex laudis aceruo.

Moribus expolijt sanctis, & dogmate Christi  
Liligerum regem, Iuſtrali fonte piandum  
Remigij dextra, p̄fſul ſimul ipſe creandus  
Atrebatoꝝ, stygius quoſ fascinat error.

Quem mihi Remigium? quem narras, ô bone, Re-  
Viat.  
Liligerę gentis? Cœn. Clodouęum intelligo, primus  
Regia ſubmisit qui Rex diademata Christo. (sum,  
Fusius haud poſſis id (queſo) exponere? Cœn. Pos-  
Viat.

Ni precibus ſignum det nola agitata diurnis.

Immortalis erit Clotildis, regia coniux,  
Noctes atque dies, pietatis amica, maritum  
Sollicitans, ſimulacra Deūm, ſine Numine ligna  
Dūm procul abijciat, viralı fonte lauandus.

B b b

Per-

Clotildis.

Germanis.  
Sueci.

Pernegat, haud precibus, lacrimis sue mouetur amatæ  
Coniugis. Interea Germanis, atque Sueuis  
Bella infert: iter emensum est, ad prælia ventum:  
Instat vtrinque acies animata, sonore canoro:  
Franca acies tergum vertit formidinem turpi.

Vt nutare suos Rex vidit, supplice voto  
Protinus æthereas hæc verba effudit ad oras.  
Summe Parens rerum, felicis Rector olympi,  
Clotildis quem cara colit, miseratus ab alto,  
Vt te fama bonum perhibet, duram aspice sortem.

Sides externis viætorem euadere terris,  
Francorum imperio ponam tibi templi, tibi aras:  
Assiduusque Dei cultor qui cuncta creauit,  
Numine qui terras, cælique palatia complet,  
Elingue & lignum, saxumque valere iubeo.

Mox fusis animi celerant increscere Francis:  
Iamque feros videoas ruere in noua prælia: sensit  
Vimque, manumque Dei astantis Germanica pubes.  
Pulsa loco; sensit, renouato marte, Sueus:  
Vtraque pars dat viæta manus, & porrigit herbam.

Tullum.  
Viat.

Rebus compositis, Francus iam tempore ab illo  
Vora explere parans, Tullum contendit, vt illinc  
Doctrina petat insignem, & pietate Vedastum:  
Fama viri. siquidem generosi ad principis aures.  
Venerat, exuperans, longa interualla locorum.

Ergone, seruato Francorum principe, vtrique  
Par laus Pontifici? Cœn. Certè communis vtrique est:  
Erudit hic dictis, lauat alter gurgite sancto.  
Huius, & illius tam gloria præfulsis est par,  
Viuificum viuo quam gaudet flumine verbum.

Viat.

Hoc satis est, tacitus mecum iam colligo, quid Rex,  
Quid proceres Franci ambo bus, quid Francia debet.

Cœn.

Coniçere in promtu est: Vrbs est mirata Vedastum.  
Tullia, cælestes meditantem peccore curas  
Tempore in hoc. Pierate grauem, meritissq; magistrum.  
Dat tamen illa suo regi. Rex inter eundum  
Dulcia dicta haurit, sicutiens, monitusque salubreis

Forman-

Formantis: stupet hinc fluialis margine ripæ,  
Doctoris precibus donatum lumine cæcum,  
Optatas dum Remigij concurrit ad ædes:  
Namque saeti cogit lubeundi fluminis ardor.

Haud dubium est, solitæ specimen virtutis & illic  
Exhibuisse virum. Cœn. Sol lucet, calfacit ignis,  
Instat vbique operi, fugit otia viuida virtus.

Prodigus annonæ æthereæ partitur in omnes  
Dogmata, non facilis nulli, sibi durus & asper,  
Acer opum spretor, parcus sibi, largus egenis,  
Hospitio proutus, cæli quod Rector ab alto  
Approbet arenti suffundens vina lagenæ:  
Ne quid vota pij bonitas diuina moretur,  
Néue dōnum admissus quidquam desideret hospes,  
Veibi fruge satur, mediis iam solis ad æstum.

Atrebatum tandem quî se pater intulit vrbi?

Vrbis primo aditu edentem miracula ciues  
Aspectant, stat mendicis res prima duobus.  
Hic oculis captus, pede claudus & alter vrroque  
Ambo virum poscunt dum vilis munera lamnæ,  
Dona volente Deo accipiunt potiora petitis:  
Exilit hic agili gressu, luce ille recepta.

Audio: qui cæco prius vni gaudia lucis  
Reddiderat, Rege & procerum spectante corona,  
Atrebatæorum duplicat miracula plebi.

Cultibus infandis sic plebs assueta deorum,  
Concutienda Deo visa est: mox natque lauari  
Fonte salutifero certantes, Numinis cestro  
Excitos videoas, diuumque relinqueret turbam.

His super Antistes, prærupta, atque aspèra saxa  
Templorum si forte Dei vestigia restent,  
Lustrat, & hisfutos, deserta horrentia, vepres,  
Relliquis vrbis prisæ, tristemque ruinam:  
Hanc prius Artesis dederat ferus Attilia cladem.

Ecce atro immanis sese effert vrlsus ab antro  
Terrificum stridens. Pater oxyus obiicit illi  
Signa verenda crucis, credentū insignia: monstrum

Bbb 2 Aufu-

Miracu-  
lum in la-  
gena vina  
ria.Viat.  
Cœn.

Viat.

Cœn.

Attilas

Aufugit, Artesia nunquam regione videndum.  
 Nulla mora est, Christo sacras Pater excitat ædes.  
 Sollicitus, niueoque choros inducit amicu,  
 Qui superum laudes, qui dulcia carmina dicant  
 Assidue, quo latronum, quo turba feratum  
 Formidata loco est: iucundior adsonat æther  
 Hymnidico lætæ sonitu reboante cauernæ.  
 Præsul per populos diuini semina verbi  
 Iactat ouans, lateri nec tempore pârcit in vlo,  
 Moribus, & lingua mirabilis usque diserta.

Viat. Quam Pater iste diu Rectoris munere functus?

Cœn. Nempe quaterdenos exegit circiter annos,  
 Dum senio lassus, meritis maturus, & annis,  
 Fessos præualidis quaeratur febribus artus.

Tum lecto incumbens audit portenta columnæ  
 Ignitæ, horarum spatio quæ pænè duarum  
 Lambens testa domus, qua febribus æstuat æger,  
 Continuo tractu, cælorum ad culmina fertur.

Nos cælo vocat ostentum, mox infit, amici:  
 Nunc demum nostri memores estote laboris,  
 Quos Christo genui, quos Christo præduce rex.  
 Ferte graues casus, & duræ incommoda vitæ  
 Vnius exemplo, qui nos seruavit, Iesu,  
 Qui peperit, vobis & morte, & sanguine vitam,  
 Quæ morbi, senijque manet, quæ nesciæ mortis.

Eucharisti. Finierat: Christi mox sumto corpore fortis,  
 Sanguineo & latice exhilaratus, membra cubili  
 Spiritus æthereæ mixtus petit alta cateruæ.  
 Sors diuersa hominum, qui tristia funera lugent,  
 Agmine ab angelico, quod personat aëra cantu:  
 Carmina namque piis plerisque audita feruntur,  
 Ascensus Animæ faustos gratantia sanctæ.

Viat. Hicne viri corpus primum post fata quieuit?

Cœn. Haud ita: magnifica primum tumulatur in æde  
 In qua perugilem tam multos egerat annos  
 Pastorem. Viat. Dic mutandi quæ causa sepulcri?

Cœn. Septimus à celebri veneranda in sede Vedasti

Aubertus,

Aubertus, monitis fertur cælestibus actus.

Hic, vbi jam mediam propè Crincio diuidit urbem,  
 Crincio perpetuis ciui placidissimus vndis,  
 Viderat in niuea carentem mane lacerna  
 Æthereæ de gente virum, dignissimus oris  
 Quem rutili commendat honos, sub fronte serena.

Eminus hunc cernit magna quod sat foret ædis  
 Metari in girum spatio, atque includere sulco  
 Artificem longa, qua digerit omnia, virga.

Cessandum haud ratus Antistes, templa addicat alta  
 Hic vbi templa viri cælestis imago notabat,  
 Monstrato vt tumulo componeret ossa Vedasti.

Iamque dies aderat, quo circumfusa ruit plebs,  
 Conspicitura nouos tumuli surgentis honores.  
 Luminibus captus, grauis annis, & pede tardo  
 Audomarus adest, decorat cui mitra bicornis  
 Canitiem. nam Teruanæ tunc sedulus vrbis  
 Rector erat, summo Christi succensus amore:  
 Cui vetulo tepidus circum pectora sanguis  
 Pectoris haud sacros quidquam restrinxerat ignes:  
 Aduersi patiens casus qui munera lucis  
 Celitus oblatæ, pompa renouante sepulcrum,  
 Auertit, precibus vota in contraria fusis,  
 Mente alta sat habens, sine nube, agnoscere Christum.

Haud temerè, vt video, cumulastis honore Veda-  
 Viat. Fas fuit illius sic tollere corpus in auras

Argenti crustis intectum, & diuite ligno,  
 Quo minus humanæ sensit contagia labis.

Spiritus huic cineri suffusus, in aëra Christo  
 Obuius exiliet, cœtu comitante piorum,  
 Quim postremareum Censura coarguer orbem.

Hec satis est, cupido tetigisse hucusque, Viator:  
 Ascens monachum reuocat, tu plaudere Vedasto

Goris habes à me, leuidensi munere laudem,

Multa tibi à nobis debetur gratia: Celi  
 Cunctipotens Rector, mature in tempora vita  
 Det tibi virtutes ritè expressisse Vedasti.

AV-

Aubertus  
 Epis.  
 Crincio  
 flu.

Audoma-  
 rus Epis.  
 Terona-  
 na.

Audoma-  
 rus luce do-  
 natus, pri-  
 stinam ce-  
 citatem

exorat.

Viat.

Cœn.

Viat.

Bbb 3

**AVCTOR AD LECTORES SVORUM**  
Poematum.

**I**n genii marcor, senium, morbosa senectus,  
Cuncta manum suadent tollere de tatuila.  
Mors superest, illi non evitabilis, illi  
Exoptanda, Deo viuere qui didicit.  
Ingenii fetus, viucturos, necne libellos  
Nil moror: hocce Deo reddo, quod ipse dedit.  
Si lolium, & steriles terra hæc proiecit auenas,  
Triticeæ messi parcite vel minimæ.  
Nostra (nec infior) non æquant scripta vetustos,  
Non nihil inspersum sed pietatis habent.  
Musa ambit, refugitque simul prodite sub auras:  
At pietas tandem vicit amica metum.  
Qualis per populos renuat matrona videri,  
Si sit forte minus compta: pudica placet.

*Idem de suis operibus.*

**S**cipi multa, reus diurno tempore voti,  
Si bona, multa satis, si mala, multa nimis.  
Quisque liber, fermè morbo mihi constitit uno,  
Et stygis ostendit, morte minante, lacus.  
Nolo mihi quidquam decidi ex carmine laudis:  
Sit laus, sit Christi, si qua sit illa, mei.  
Quod si culta minus fastidit tertior ætas  
Scripta probet Christus, cui bene velle, sacerdos,  
Quid tunc, si taceant me postera sacra latentes?  
Nominis & pereat fama sepulta meis?  
Itaque dem caris fato rapiendus amicis,  
Tessera nec veræ pérstet amicitia?  
Spes docet, atque fides (quum sceptrum reponet) in uno  
Omnes, per Christum, nos fore nemppe Deo.

*De*

*De hisdem.*

**L**uctificis quandam defleui tempora Threnis,  
Sors mea dum fletur, sorsque aliena mihi.  
Ausus & in sacris Eidyllia ludere campis  
Elicio in cantus, qua potis arte, Deum.  
Multiplices cecini progressus alacrior hymnos  
Cælitum præco, Virginis, atque Dei.  
Alterutro, seu quid, seu nil paro nominis usquam,  
Laus sit & in terris, & super astra Deo.  
Audiat hoc votum, cordis spectator Iesus,  
Qui mihi principium, qui mihi finis erit.

**FINIS HYMNORVM.**